Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Affelmann

# Syllabus Disputationum Theologicarum De Praecipuis Quibusdam Christianae Relligionis Capitibus

Rostochii: Reusnerus, 1612

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756503264**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

J. Affelmann.
R. U. theol. 1612.
a

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756503264/phys_0001
DFG

Contenta: J. Apelmannus: 1612

(1) De scriptura sacra
(2) De Deo
(3) De Deo
(4) De Christo
(5) De creatione
(6) De baptismo
(7) De SS. Domini coena

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn756503264/phys_0002
DFG

# SYLLABUS

*Disputationum Theologicarum*

De

# PRÆCIPUIS QUIBUSDAM CHRISTIANÆ RELIGIONIS CAPITIBUS,

*In Inclyta Academia Rostochiensi propositarum*

Authore & Præside

*JOANNE AFFELMANNO S.*
*Theologiæ Doctore & Professore Ordinario.*

ROSTOCHII
*Typis exscripsit Christophorus Reusnerus.*
ANNO M. DC. XII.

1612

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756503264/phys_0004
DFG

# DE SCRIPTURA SACRA.

Quæ est doctrina Deut. 4. v. 36. à DEO 2. Tim. 3. v. 16. de DEO Joh. 5. v. 39. ad DEUM cap. 20. v. ult. Prophetarum & Apostolorum libris comprehensa Rom. 1. v. 1, 2.

## Quæritur.

### I.

Quinam libri eo nomine veniant? *Quinam Canonici, hoc est, fidei morumq; normæ Gal. 6. §. 16. Philip. 3 §. 16. secundum quam Deus in novissimo die judicaturus, Dan. 7 §. 16. Joh. 12 §. 48. quinam, Epiphanii stylo, Testamentarii, & Augustini verbo, saluti utriusq; Testamenti ubera, è quibus germani Ecclesiæ liberi τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα sugunt ut in Christo adolescant, dici mereantur? Veteris Testamenti ab Orthodoxis numerantur 24. ad numerum Seniorum in Apoc. cap. 4. & 5. juxta D. Lutherum, & nonnullos alios Thalmudicos: à quib. non dissentiunt qui 22. tot scilicet, quot Hebræis γράμματα, Josephum contra Appionem (Non Esdram) sequuti recensent, quando librum Ruth ad librum Judicum, Estheræ ad scriptorem ejus Esdram referunt. Sunt autem: Moſis libri quinq;, liber Josuæ, Judicum, Ruth, Regum quatuor, duo Paralipomenon, duo Esdræ, Esther, Hiob, Psalmi, Salomonis proverbia, Ecclesiastes, Cantic. canticorum, Prophetæ 4. majores, & minores 12. & sic numerant Concilia, Patres; quidam etiam inter Pontificios doctissimi, qui Concilio Tridentino interfuére. Libri reliqui veru jugulante, ut Hieronymus loquitur, hinc expunguntur, id quod de nonnullis fatentur nunc ipsimet Pontificii: de Libro autem Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Syracidis, Maccabæorum duobus, Baruch, Estheræ septem capitibus posterioribus, & Danielis supplemento principalis remanet controversia, quos Pontificii edicto Tridentini Conciliabuli vocant Propheticos, Canonicos, nos Apocryphos, his rationibus, I. Quia libri isti post Malachiæ & Artaxerxis tempora, post quæ Propheta ad Joannem usq; monstrari nequit, vel Josepho dicente, scripti sunt: cujus rationis robur, non dubito, quin ipse Bellarminus senserit, quando librum Esdræ non fore ait in Canone, si post Longimani tempora scriptus adseratur. II. Quia linguâ destituuntur Propheticâ, quicquid quis ex Hieronymo objicere possit, unde idem Bellarminus tertium & quartum Esdræ, & quartam Maccabæorum non vult Propheticos, quia Hebraicè scripti non extent. III Ecclesiæ Judaicæ, cui τὰ λόγια τοῦ θεοῦ commissa leguntur, Rom. 3. §. 1. testimonio*



*non gau-*

non gaudent, adeoq; nec Levitis commendati, ut in arcæ latere ponerentur. Quid est gens Judæa nisi inter quædam scriniaria Christianorum bajulans legem & Prophetas ad testimonium adsertionis Ecclesiæ ait D. Augustinus lib. 13. cont. Faust. cap. 23? IV. Quia Propheticis de Christo vaticiniis vacui sunt, quum tamen OMNES Prophetæ testimonium perhibeant de Christo. Act. 10. v. 43. Joh. 5. v. 39. V. Jubat videre specialia, nam & utile & jucundum est. Libri qui à veritate Propheticâ, Historicâ & Chronologicâ discedunt, Sacri, Prophetici & Canonici non sunt. Est enim spiritus sanctus spiritus veritatis, Psal. 51. § 12. & veritatis, Ioh. 15. v. 26. c. 16. v. 13. At libri jam recitati plerique à veritate ista discedunt. Videamus Librum Tobiæ. Tribuitur ibi Angelo mendacium cap. 5. v. 15. sibi ipsi contradicenti cap. 12. v. 15. Et iterùm mendacium. Nam Dan. 7. v. 10. millies mille Angeli administrare adfirmantur Deo, & decies millies centena millia coram ipso stare. Hic autem Pseudo-Raphaël septem ait tantum esse qui adsient Domino, & se unum ex illis cap. 12. v. 15. Eidem Angelo officium, quod tamen solius Christi est, arrogatur cap. 12. v. 12. Cujus autem assis consilium cap. 6. v. 9. cap. 8. v. 3? Dic anne Magicum? sicubi editiones, Latinam vulgatam (quam D. Lutherus gravi consilio in Germanica sequitur) cum Complutensi Græcâ (quam F. Iunius in Latina cum aliis nonnullis) contuleris, videbis dissensiones gravissimas. Quære enim: Tobias senior cum visu privaretur, quot fuit annorum: Respondet Latina 56. Græca 58. cap. 14. v. 2. Quot annis eo privatus mansit? Respondet Latina quatuor, Græca addit totidem c. 14. v. 3. Quo ætatis anno mortuus? Latina anno 102. cap. 14. v. 2. Græca 158. cap. 14. v. 13. Quære de juniore, quot liberorũ pater fuerit? 7. ait Latina, Græca 6. c. 14. v. 6. Idẽ quam diu inter mortales? Latina ann. 99. cap. 14. § 16. Græca 127. ibid. Tum si quis Argus est, monstret quæ Græca habet c. 1. v. 1. 7. 24. & 25. ubi legantur in Latina? quæ Latina cap. 1. v. 4. 7. 10. 16. & 23. ubi in Græca? Sed dicet vel Bellarminus vel alius ejus manipli, Latinam editionem esse sectandam, Græcâ relictâ. Euge! Dicitur in Latina cap. 1. v. 11. Tobiam juniorem cum patre à Salamanassare captivum abductum esse: eundem superstitem fuisse, quando templum Domini exureretur, hoc est, ab initio exsilii Israëlitici anno 133. Dicitur autem nihilominus, Tobiam juniorem nonnisi ann. 99. vixisse cap. 14. v. 16. Dic tu nunc, qui hæc conveniant? Librum Judith vide. Hic narratio quæ extat c. 9. v. 34. quâ multis laudibus extollitur facinus à Simeone & Levi patratum, Mosi repugnat, Gen. 49. v. 5. 6. ubi à spiritu S. hoc damnatur, ut de oratione ad Holofernem mendaci & simulata taceam. Exponatur tantum, quo tempore gesta quæ hoc libro exponuntur? Vide, vide ut se Bellarminus torqueat. Tandem ad Manasis tempora confugit. Quasi verò templum sub Manasse eversum, quod factum ait contextus Græcus? Quasi Chaldæi populum hunc, cujus Regem paulò ante captivum adduxerant, sic ignorare potuissent, ut Holofernes Achiorem de eo interrogare necesse haberet? Quasi post Manasis regnum tam firma Iudæis pax obtigerit, ut author hic ex Judithæ ætate pronunciat. Quæ ipsæ rationes faciunt, ut nec ad Sedechiæ regnum referri queant. Editiones hujus libri qui discrepent de eo vide quiritantem Hieronymum in Prologo. Siracides honorem istum Propheticum ultrò repudiat in libri prologo. Errat itidem errores magnos de

gnos de Samuele post mortem prophetante cap. 46. §. 23. & Eliæ corpore suo adhuc reversuro cap. 48. §. 30. quorum ille textui Prophetico 1. Sam. 28. §. 3. 6. repugnat, posterior è loco Malachiæ c. 4. §. 23. 24. malè intellecto natus est. Etiam hic editio Græca habet cap. 1. §. 27. cap. 3. § 28. quæ nescit Latina, Latina cap. 1. §. 14. c. 2. §. 16. & 21. c. 3. §. 20. 28. quæ nescit Græca. Maccabæor. libri 2. absurditate vincūt reliquos. Nō annoto discrepātias inibi multas, magnas. Absonūne est quod Razias αὐτόχειρ & commendatur 2. Macc. 14. §. 42. Absonumne quod Alexander dicitur vocatis ad se illustribus, qui secum in juventute educati vivis adhuc distribuisse regnum 1. Macc. 1. §. 7. Non adducam in hanc aream plures: Possem autem Curtium, Plutarchum, Diodorum Siculum, Daniel solus contra loquatur cap. 11. §. 4. An non (dic Polyhistor) quæ de Magistratus Romani ratione narrantur, inepta, jejuna, distorta? 1 Macc. 8. §. 16. Credo vel hinc Cyrenæus iste gentilis veniam petit erratorum lib. 2. cap. 15. §. 39. Pro libro Baruch quod certent Pontificii, miramur, cum in cap. 6. simulacrorum cultores, & cultus pontificii quasi ex professo accusentur. Sensit hoc Canus. Crassum est, quod cum Judæi in captivitate Babylonica fuerint annos 70. ut est 2: Par. 36. §. 21. Ierem. 25. §. 11. cap. 29. §. 10. hic tamen auctor cap. 6. §. 2. annos ponat 700. Additiones Esther, Cleopatræ & Ptolomæi ætate demum scriptæ, cum Estheræ Canonicis nunquam conciliari possunt. In Canonico est cap. 3. Hamanum descendisse ex stirpe Agag (Regis Amalekitarum) in additamento dicitur animo simul & GENTE fuisse Macedo. In Canonico est Mardochæi somnium contigisse anno Assueri septimo, in additamento, anno secundo cap. 11. § 2. Et aliàs tota illa appendix quanta quanta est, nil ferè aliud quàm odiosa repetitio priorum, quæ Spir. S. minimè uno & eodem in libro imputanda. Additiones & supplementa Danielis cum ad nos non nisi è nefarii Theoditionis versione devenerint, vel idcirco suspecta sunt. Quis autem iste est Græcus Daniel? Quis iste Habacuc? Septuaginta, hæc non Danieli Prophetæ, qui de tribu Juda, sed alteri, qui de tribu Levi, Habdæ sacerdotis filio attribuunt. Tu Roberte explica nobis, anne Daniel eo tempore (Cyri) quo Susannæ historia gesta memoratur, puer fuerit? O puerum 80. annorum! Ezechiel certè, qui prophetavit anno 5. post transmigrationem cap. 14. Danielem viris annumerat gravissimis. Sed quod si quis judicium à Daniele latum vocaret PUERILE, quid inde? Cordati judicent. Habacuc Propheta non Cyri tempore, sed ante Nebucadnezaris in Judæam expeditionem prophetavit. Quis ergo iste Habacuc Danielis? De Novi Testamenti libris, Epist ad Hæb. posteriore Petri, 2da & tertia Joh. epist Iacob. Iud. & Apocal. non una omnium Orthodoxorum sententia est, quæ tamen diversitas fidei unitatem non tollit. Sic sentimus: Canonicum aut est & dicitur, de cujus Apostolico scriptore non dubitatum, aut id, quod ad morum & fidei dijudicationem ceu Apostolicum rectè adhibetur. Si posteriori sensu accipias, nos dictos libros pronunciamus Canonicos, si priori, non item.

## II.

Unde Propheticæ & Apostolicæ hujus Scripturæ auctoritas Canonica

dependet? *Egregios hic se præstant Pontificii Vertumnos. Ne enim nostræ sententiæ piæ, quæ est, Scripturæ auctoritatem dependere à Solo Deo, omninò contradicere videantur, distinctionem fabricant: dicentes, Scripturæ auctoritatem PER SE quidem pendere à Deo, sed quoad nos ab Ecclesiâ, seu ut interpretantur plærique, à Romano Pontifice, qui in conclusionibus infallibilem, in mediis discursivum, in conclusionibus Propheticum habeat spiritum. Sic Andradius lib. 3. pro Concil. Trid. Stapleton. contra VVitack. Bellarm. passim verborũ fumi sunt. Nam ubi res redit in circulum, Caussam auctoritatis istius efficientem rursus negant esse Deum, qui etsi prisci hac in re hæreticis cautius loquantur, vix tamen commodius sentiunt, & reducunt hæresin, quam olim etiam Hermannus Rissbich anno 1500. publicitùs proposuit. Scilicet sic sacra Scriptura nitetur judicio humano, neq; erit λόγος πίστος? Quantò rectius in mediis Papatus tenebris ex 2. Pet. 1. v. 21. Biel lib. 3. sent. dist. 25. ad dub. 3? Adscribimus Syllogismos. I. Id quod errore vacat, auctoritatem veritatis non accipere potest ab eo, quod errori obnoxium est. Quis neget? At sacra Scriptura errore vacat, 2 Tim. 3. v. 16.: Ergo ab Ecclesia, quæ errori obnoxia (Luc 18. v. 8.) auctoritatem veritatis accipere non potest. II. Ecclesiæ testimonium caussa est, propter quam Scripturæ credendum, & pro divinis ista habendâ, vel apud fideles, vel infideles. Non fideles, isti enim credunt propter Deum, non homines; nec infidelibus, isti enim suorum jactitant testimonia, quæ majori numero Christum professis opponi possunt. III. Si Scriptura veteris instrumenti ab Ecclesiâ ejusdem, auctoritatem non accipiebat divinam, sed propter divina Testimonia, nec Novi instr. Scripturæ auctoritas ab Ecclesiâ pendebit. At prius vide tantum Naëmani Cyri historiam 4. Reg. 5. v. 15. 11. & 12. Ergo. IV. Circulatorib. istis rectè opponitur cum aliorum Patrum, tum inprimis Chrysost. auctoritas, cujus verba clarissima videas homil. 4. in Matth. & cognosces inde Apostolos, licet errore cespitarint facti nunquam tamen fidei, velut alij, significatione strictiore, licet errato, nunquam tamen errore. Κρίτηρια conglomerant hic Theologi, quæ evidentissimè arguunt Scripturam Propheticam & Apostolicam esse θεόπνευστον, quæ nunc approbant Jesuitæ, nunc rejiciunt. Utriusq; exemplum ex Bellarmino est. Repetantur ea è libellis Theologorum. Inculcamus hoc loco argumentum argumentorum à testimonio interno Spiritus sancti in cordibus credentium, quod quia Moguntini Jesuitæ in disp. contra Paræum rident, iis hæc argumenta tria opponere visum est. I. Si ex interno Spiritus sancti testimonio nobis constat de Christi gratia, amore Dei, & vitæ æternæ hæreditate, & constat id certissimè, eodem testimonio de ipsius Scripturæ veritate & majestate constabit: Ratio consequentiæ est è Scripturæ definitione, quam tradidimus: Immò si de ipso Dei amore possumus certissimi esse isto suffragio, multò magis de doctrina ipsius, quæ amoris istius index. Atqui prius ex Rom. 8. v. 16. Ergo. II. Si Judæi interno suffragio poterant esse certi de Veteris Testamenti Scriptura, Ergo & nos de nova, Ergo & de integra, cum non sit ratio dispar. At prius est ex Ioh. 5. v. 39. Ergo III. Omnis effectus est causæ suæ index certus, Ἀναντίρρητον. At salus in credentibus est effectus Evangelii in libris Propheticis & Apostolicis expressi. Caussæ*

*jus*

*suæ ergo Evangelii dico, in literis Propheticis & Apostolicis expressi index certus. Respondè BECANE.*

## III.

*Cum ergo divina & canonica sacræ Scripturæ sit auctoritas:* Anne in ea omnia, quæ ad fidem & mores necessaria, *si non expressè, analogicè tamen, ut vocant,* continentur? *Sic statuimus contra Pontificios communiter, quorum sententiam nimis clarè proposuêre Jesuitæ in nupero colloquio Ratisbonensi sess. quarta. Argumentum I. ab expresso Scripturæ Epitheto Psal. 19. § 8. Lex Domini PERFECTA EST. In Hebræo est Themimah à Tham quod perfectum denotat Gen. 6. II. Omne Testamentum rectè factum & comprobatum perfectam Testatoris complectitur voluntatem, præter quod nil meretur fidem, quando ea testatoris fuit sapientia, ut omnia perfectè meditari, ac Testamento comprehendere potuerit, sic ut nemini liceat* Προσθέσειν *Gal. 3. v. 15. At Scriptura sacra inscribitur TESTAMENTUM, testatoris scilicet omniscii. Ergo. III. Cui nihil addi vel detrahi debet, istud perfectam salutis comprehendit doctrinam. Sacræ Scripturæ nil addi vel detrahi debet Deut. 4. v. 2. c. 12 & ult. Apoc. 22. v. 18. 19. Ergo. IV. Unde fidem & Christi agnitionem habere possumus, quæ ad obtinendam salutem æternam sufficit; istud perfectum, & omnia dogmata fidei necessaria continet. At è Scripturâ sacra eam habere possumus ex Iohan. 20. v. 31. ex cap. 5. v. 39. Ergo. Ejusdem generis argumenta ab effecto ex aureo Apostoli loco 2. Tim. 3. v. 14. 15. 16. 17. sex distinctis syllogisticis conclusionibus formari possunt. V. A testimonio Evangelistarum & Apostolorum expresso, quo testantur se omnia scripsisse ad salutem necessaria Act. 1. v. 1. c. 20. v. 27. c. 26. v. 22. Rom. 1. & 16. Gal. 1. v. 8. VI. Accedunt testimonia Patrum. Justini in Dial. cum Tryph. Iren. l. 2. c. 47. Clement. Alexand. l. 3. c. 1. 2. Tertulliani de resurrectione carnis c. 3. contra Hermog. c. 22. Cyprian. in Epist. 68. ad Coecil. Athanas. in orat. cont. Idol. Ambros. lib. 2. de vocat. gent. c. 3. Damasc. lib. 1. Orthod. fid. c. 1. August. lib. 2. de pecc. merit. cap. ult. tract. 49. in Ioh. l. 3. cont. liter Petil. c. 6. lib. 3. contra Maxim. c. 14. Quin imprimis ipsorum adversariorum, ut Lombardi 3. sent. dist. 15. Thomæ p. 3. q. 1. art. 3. lection. 3. super 2. Tim. 3. Scoti in 1. sent. q. 2. Petride Aliaco 2. sent. q. 12. Discip. de tempor. serm. 23. Emanuelis à Saa de prim. num. 30. Cajetan super 2. Tim. 3. Costeri in Enchirid. cap. de S. Scriptur. Pistorii* in Wegweisers *titulo, ipsius etiam Bellarmini lib. 4. de verbo Dei cap. 11.*

## IV.

*Hinc quid de Traditionibus Papisticis sentiendum liquidò patet.* An traditiones *istæ* pari pietatis adfectu cum sacrâ Dei Scripturâ suscipiendæ? *Ita enim disertè pronunciant Concil. Trid. sess. 4. c. 1. Alphons. Salmeron canon. 13. disp. 8. in Epist. D. Pauli. Melchior Canus lib. 3. loc. comm. Traditionum nomine doctrinam intelligunt Papisticam, quæ Scripturarum sacrarum testimonio probari non potest, Ut probari non posse, Episcopi Bononiæ congregati in suo consilio Iulio III. Pontif. dato exponunt. Equidem si Scripturæ S. perfectæ, ut probatum dedimus, quorsum*

*Traditiones? II. Si Ecclesia partim Scripturâ, partim Traditionibus niteretur, non erit super UNICUM fundamentum Prophetarum Apostolorum, in quo imus angularis est Christus extructa. Posterius absurdum Eph.2.v.20.21.Ergo. III. Syllogismus sit, cujus partes omnes è* Bellarmino *nos probaturos confidimus: Quicquid à Prophetis & Apostolis non est, istud nec de fide est. At Traditiones Pontificiæ (vel inter eas saltem istæ, quas Ecclesiasticas vocant) à Proph. & Apostolis nõ sunt. Quare nec de fide, Quare neq; pari pietatis adfectu cum sacra Scripturâ suscipiendæ. IV. Quid autem faciendum Roberte, si quando Traditiones dissentiunt? Dissentiunt autem, sæpissimè. Ut cùm apud Socratem lib 5.cap.22 de Paschatos die discrepant Occidentales & Orientales Ecclesiæ. Utraq; autem pars jactat traditiones, quid faciendum in versatili ista Scena? V. Qui relictâ sacrâ Scripturâ ad traditionum anchoram confugiunt. Iubentius traditionum siliquis, quàm lacte dulcissimo è Scriptura uberibus manante pasci volunt, ii duces sequuntur hæreticos: quorum id proprium esse disertis verbis testatur Irenæus lib.c.2. quæ & ipse Bellarminus allegat, valde insciitè tamen, quandoquidem Irenæo adscribit, quod Irenæus hæreticis ducem Simonem Magum apud eundem lib.1.c.1.17. duces Selgianos apud Epiph. hæres.39. Archonticos hæres.40. Severianos hæres.45. Encratitas hæres.47. Bardenasistas hæres.36. Arianos apud Athanas.orat.2 cont. Arian. Capocratianos apud Irenæum lib. 1.c.24. & Iudæos apud Galat. At faciunt id Pontificii. Ergo. Quin eodem argumento pro traditionibus adserendis prodit in aciem Bellarminus lib.4. de verb. Dei cap.8. quo ipsi hæretici, olim apud Irenæum lib. 3. c. 3. IV. Adstipulantur nobis Patres, Irenæus lib. 3. cap. 1. Basil. de confess. fidei Epist. 80. August. tract. 49. in Ioh. & lib.2. de doct. Christ. quibus adjicimus ingenuam ipsius Bellarmini confessionem, quæ extat lib.4. de verbo Dei c. 11.*

## V.

*Deciditur & altera inde quæstio de doctrinæ Christianæ norma, quam esse sacram Scripturam constat ex Psalmo 19.v.5. ubi in Latino vocabulum Sonus juxta Hebræam veritatem sonat idem quod Linea, nam Kavah perpendiculum esse, directorium ex R. Abenezra ait Munsterus. Vide & Vatablum. neq; negant hoc Pontificii. Istud quærunt?* An doctrinæ Christianæ sacra Scriptura sit norma *UNICA? Esse autem contra Papicolarum chorum adserimus, quamdiu inconcussa manent, quæ de plenitudine sacræ Scripturæ diximus, è qua perfectio ista fluit. Et sic colligimus: I. Ad cujus unius præscriptum in omnibus officii partibus Christiani remittuntur, id unum fidei & vitæ nostræ norma est. Atqui ad unius sacræ Scripturæ præscriptum, in omnibus officii partibus Christiani remittuntur. 2.Tim.3.v.14.15.16.17. Ergo. II. Norma cavendorum & refutandorum errorum est norma fidei. At una Scriptura sacra est norma cavendorum & refutandorum errorum. Constat id cum aliorum divinorum virorum in V. & N. instrumento, tum inprimis Christi auctoritate & exemplo: qui quæsq; hæreses è solâ refutavit Scripturâ, caussamq; erroris uni Scripturæ ignorantiæ adscribit Matth.22.v.29. III. Quæ futura norma est do-*

*ctrinæ*

*ctrinæ Christianæ in extremo judicio, ea & non alia in hac vita esse debet sermo. At Christi in Scripturis Propheticis & Apostolicis comprehensus, seu Scriptura sacra est illa norma Iohan. 12. §. 48. Ergo. IV. Idem tradunt Patres, Irenæus lib. 1. c. 1. l. 3. c. 1. 2. Chrysost. homil. 13. in 2. ad Corinth. Tertull. de resurrect. carnis, & saniores Pontificii, Andreas Fricius lib. 4. de Eccles. cap. 6 Cassander in consultat. art 15.*

## VI.

Anne autem Sacra Scriptura Judex doctrinæ Christianæ *Ulterius disquirunt Jesuitæ, accerrimè in colloquio nupero Ratisbonensi, quorum errores non obscurè defendit M. Rodolphus Goclenius, masculè tamen exceptus à Dn. D. Andrea Libavio Nam I. Paria sunt secundum Scripturam, esse doctrinæ Normam & Judicem, unde repetantur argumenta, quæ jam adduximus. II. Expresso Christi enunciato Iohan. 12. v. 48. III. Quia Scriptura utilis est* πρὸς ἔλεγχον *1. Tim, 3. IV. Patrum idem docent suffragia, Basilii M. ad Eustachium medicum tom. 2. Ep. 80, August lib. 2. de nupt. & concupiscent. c. 33. & inter Pontificios Dandradæ in defensione fidei Trident, l. 2. cont. D. Chemnit.*

## VII.

*Hinc & disputant,* An tanta sit Scripturæ perspicuitas, ut ex eâ certa sententia de Dogmatibus quorum cognitio ad salutem necessaria, hauriri possit? An quia in Scripturâ tractantur res obscuræ, ideo & undique obscurè? *Prius nostrates, posterius Pontificii tuentur. Nostræ sententiæ fundamentum suppeditatur ab Elogiis, quibus S. Scriptura ornatur, ut rectè observat Augustinus. Dicitur enim lucerna pedũ nostrorũ Ps. 119. v. 105. & 19 v. 9. Prov. 6. v. 23. Splendens in caliginoso loco 2. Pet. 1 v. 19. iis tantum obtecta qui pereunt, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes, ne irradiet lumen Evangelii 2. Corinth. 4. v. 4. II. Si Scripturæ adeo obscuræ, ut quiritantur Pontificii, id inde est, quia Spiritus S. clarius scribere vel non potuit, vel noluit. Non potuisse quis affirmabit? Repugnaret Gen. 18. v. 14 Jerem. 32. v. 17. Luc. 1. v. 17. 37 Vide eleganter Lactant. lib. 6. jnst. c. 21. Noluisse, sini scribendi resragatur Rom. 15. v. 4. Ioh. 20. v. 31. Luc. 1. v. 4. III. Cur etiam juberemur scrutari Scripturas Ioh. 5 v. 38. si adeò obscuræ, ut ex illis certa sententia hauriri non posset? IV. Expressè Mandatum Dei (intelligitur sub eo & Evangelium) dicitur* [illegible] *esse occultum Deut. 30. v. 11. E quibus verbis sic concluditur: Quicquid Judæi postulabant, id adesse pronunciat Jehova. Ii autem verbum Dei non modo per se, sed & intellectum ejus postulabant. Et hunc ergo adesse pronunciat Jehova. V. Obscuritas ista esset vel in Lege vel Evangelio. Non in Lege, ipso Bellarmino teste: namq́ hujus sententia clarè satis expressa Deut. 6. v. 5. Mat. 22. v. 27. Non in Evangelio, ut confirmat Apostolus 2. Cor. 4 v. 3. 4. qui & Evangelii claritatem 2. Cor. 4. § 6. cum primæ istius lucis claritate Gen 1. § 3. confert. IV. Ex hypothesi: Quod factu facile, id intellectu non difficile. Docebunt id Conimbricenses Iesuitæ, Moguntini, & Monasterienses in VVestphalia. At mandatum (sub quo & Lex cum Evangelio comprehenditur) de quo Deut. 30. v. 11. juxta Bellarminum est factu facile. Nec ergo*

*ulse-*

*ulterius intellectu difficile.* VII. *Accedunt suffragia Patrum, Augustin. epist. de unitat Eccl. c. 5. Iustin. in Dial. cum Tryphon. Cyrill. cont. Iulian. lib 7. in Ioh. lib. 3. c. 26. Epiphan. hæres. 76. Et pontificiorum ipsorum, Gregor. de Valent. in analys. fid. Cathol. Perer. Coster. Vide & jus Canonicum dist. 37. cap. Clemens Pap. 1. Epist 1. ad suos discip.*

# IIX.

*His præsuppositis multæ adfines quæstiones decidi possunt, adversariorũ errores profligari, ut Pontificior. qui melius consultum fuisse Ecclesiæ scribunt, si nulla unquam extitisset Scriptura, si nulla Theologia atramentaria & nigrum Evangelium, (ut scripta vocant Biblica) Decretales Pontificum Epistolas sacris litteris exæquant, Sacram autem Scripturam in Cœnosis Latinæ versionis rivulis (de quibus disp. peculiari) sacrilego molimine authenticè quærendam inculcant, Tyrannico interdicto Laicos â Scripturæ lectione absterrent, rerum ipsarum iuterpretattenẽ jure ad Rom. Pontif Opt Max. devolutam ajunt, cuilibet Scripturæ loco sensus quatuor vel quinq; adfingunt, tanquam Nasum cereum excipiunt, & ita tractant, ut vel imperfectio, vel obscuritas, vel vilitas, ad auctoritatem & majestatem ejus annihilandam adferatur. Collabascunt unà Gnosticorum, Manichæorum, Bogomillorum, & quæ ejus notæ plures aliorum circa sacræ Scripturæ auctorem Deum blasphemiæ.*

# IX.

*Tantum: M. Johannes Lampadius suprà modum scripta Sociennorum Calvinianorum contra Pontificios in locum de Sacra Scriptura extollit, quærere ergo libet: anne verborum tantum, quâ principalia, in iis lusus sit? h. e. anne ipsimet Calviniani quâ Scripturæ perfectionem & perspicuitatẽ egregiè papizent? Ego adfirmo.*

*I. De Perfectione: Qui causſam principem salutis nostræ, Dei dico beneplacitum in sacrâ Scripturâ nobis negant exponi, ii S. Scripturæ negant perfectionẽ. Certum. Atqui Calviniani id faciunt, quoties de ARCANO & absoluto Dei beneplacito de voluntate Beneplaciti ARCANA, voluntate signi seu Sacra S. expressa opposita, ibusdam nempe hominibus non salvandis declamitant: Vide inprimis Bezam resp. 2. ad Coll. Momp. p. 174. 175. H. Zanchium de natura Dei l. 3. c. 3. q. 3. & c. 4. q. 3. Sacræ ergo Scripturæ negant perfectionem.*

*II. De Perspicuitate: Qui Syntaxin Spiritus S. AMBIGUAM ajunt, ii sacræ Scripturæ negant perspicuitatẽ. Calviniani Syntaxin Spiritus S. ajunt AMBIGUAM. Vide quid Matthias Martinius scribat contra D. Mentzerum in Incis. p. 55. ut nunc taceam alios. Negant ergo & Scripturæ S. Perspicuitatem, & consequenter OMNEM auctoritatem, id quod erat concludendum.*

# DE DEO.

QUi est, descriptione Hebræorum brevissimâ, JEHOVAH ELOHIM Exod. 6. v. 2. quâ unus est,

## Quæritur

### I.

An & quomodo DEum esse è naturæ libro demonstrari possit? *Sunt qui negant posse.* Sic Petrus de Aliaco in 1. sent. dist. 3. q. 3. alliq. de quibus Angelicus doctor, quem vocant, lib. 1. cont. gentes cap. 11. 12. sequuti doctorē primum Rabbi Mosen l. 6. Phil. c. 6. Corrigunt hosce Patres prisci seculi magno numero, qui etiam ne Scepticis quidem exceptis, ipsos sacrilegos & detestandos Philosophos, qui perversa de DEO sentiunt, ausos tamen non fuisse dicunt dicere, NON EST DEUS. D. August. sup. Psal. 13. Et hincce Diagoras Melius, Theodorus Cyrenaicus, Protagoras, Pontifex Cotta non Deum verum, sed gentilitios & fictitios risisse Deos scribuntur. Posse ergo demonstrari Deum esse è naturæ libro, rationibus quinq; probat Aquinas part. 1. summ. Angel. q. 2. art. 4. Sit instar omnium ea, quæ ab Universi formâ. I. Cujus forma finita est, id tandem ab infinito. Mundi forma finita est, sive partium spectes coagmentationem, sive orbis conversionem. Ab infinito ergo, hoc est, vel adversario interprete, Deo. II. A creatione solidius argumentum inculcat Apostolus Rom. 1. v. 20. quod apud Socratem deducitur lib. 4. cap. 23. ubi Antonio dicere solitus, creaturas esse librum suum, è quo Dei cognitionem hauriret, planè ut scholastici: in creaturis rationalibus esse imaginem, in reliquis verò Dei vestigium Thom. p. 1. q. 45. art. 6. III. Et à beneficiorum collatione ex Act. 14. v. 16. Vide sis de mediis aliis libellos Theologos alios, tum & Ludovicum Vivem de ver. fid. Christ. Mutium Pansam in Osculo Ethnicæ & Christ. Philosoph. Raymundum de Sabaudi in Theolog. naturali. Nos ita ista exprimimus: Media è naturæ libro, quibus Deus cognoscitur, petita, sunt vel Metaphysica per abstractionem mentis, distinctionem multitudinis, proportionem causæ minoris, participationem in rebus naturalibus perfectionis, admirabilem subordinationem rerum, earundē unionem & concentum, vel Physica: per rationem essentiæ motus, ordinis, decoris, multitudinis, magnitudinis, simplicitatis, Ethica: per considerationem subjecti, nempe animi humani, respectu voluntatis & intellectus, per considerationem objecti: nempe Virtutis aut Moris, ut sitæ bonitatis aut mentis, ut rei veritatis, per considerationem finis, ut felicitatis & activa & con-

templativæ. Sed dicet quis, arguunt hæc notitiam Dei naturalem ἄκτητον, non tamen ἔμφυτον, arguunt acquisitam, non insitam. Nam hancce negant, & dari non posse affirmant. Ast qui? Forstius, Timplerus, Par Fratrum! Qui quid respondebunt I. Apostolo Rom. 2. v. 15. quibus nil clarius? II. Quid Syllogismo? Quod è conscientia hominis arguitur, arguitur è notitia insita & interna. At è conscientia hominis Deum esse arguitur. Bonam vis? Ethnicorum in schola vide Periandri, Epicteti, Senecæ apud Stob. serm. 24. serm. de concupisc. Senec. lib. 2. de moribus. Malam? Eundem vide Senecam Ep 97. ad Lucil. Videbis ut veternum ista in impiis excutat, ut aculeo ejus nil aculeatius, morsu nil mordacius, quâdo nec vadimonium eius deserere, nec forum declinare impii poterunt. Vide quid magno isti Regi contigerit apud Sabell. l. 6. Enn. 4. Plutarch. in Alexand. quid centum alii? Ergo. Patrum schola habes apud Dn. Schrod. in opusc. Quid autem, si Forsianæ & Timplerianæ hypotheses circa hanc thesin se ipsas evertant? Experiamur. Quando aliquid potest esse in intellectu, quod non fuit prius in sensu, sequens est, posse esse notitiam Dei naturalem infusam, insitam. Sic ipsimet. At potest aliquid esse in intellectu, quod non fuit prius in sensu. Iidem. Ergo.

## II.

Naturalis ista notitia anne ad salutem sufficiens? Adfirmabat id olim Rhetorius apud August. de hæres. ad Quod v. d. cap. 72. & post eum Puccius, Latomus, Andradius, Zvinglius in expos. fid. ad Gall. Gvalther in Apolog. Monachus Franciscanus Tridentinus, de quo Sledan. lib. 23. Hinc præstantes virtute viros Ethnicos Cinglicolæ pronunciant salvatos. Memores erimus essati Viti VVinshemii Senioris in Academia VVitebergensi quondam: Cavete vobis auditores à cælo Zvinglianorum: Ego non libenter in cælo isto Zvinglii vivere optarem: Valdè enim mihi metuerem à clavâ Herculis. Certè: I. Si non est in alio quodam salus, quàm in Christo Jesu, nec aliud nomen sub cælo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, ista naturalis notitia ad salutem non sufficit. Atqui non est in alio &c. ex Act. 4. v. 12. Ergo. Et huc spectant II. argumenta à causâ instrumentali justificationis, quæ fides, sine qua impossibile est placere Deo Heb. 11. v. 6. Etiam: III. Languida, quæ absq; παλιγγενεσίᾳ quidem, Dei notitia, ad salutem non sufficit. At hæc naturalis est ita languida. Hincce Antonius iste apud Oratorem in Tusc. ait assentiri se Platonis exemplo, dum legit ejus de immortalitate librum, sed cum librum deponat, ipsemet de eâ cogitans, omnem mox elabi adsensionem. Hincce Vindicem, justum fatebantur gentiles Deum, cum omnia succederent iis ex animi sententia qui mores excolebant, sin aliter, vel dubitabant, vel in solidum Deum negabant. Esiis jo SUPERI, Statius exclamabat, cum à morbo dubio convaluisset. Contra autem alij atq; desuper alij. Quæ sicubi per jocum dicta existimaveris, ecce obstant quæ Cotta apud Orat. de Nat. Deor. Non ergo ad salutem sufficit. Vel IV. Fatente Zvinglio Non intrabit in cælum aliquid inquinatum, ex Apoc. 21. v. 26. Ast notitia ista naturalis in quantum talis inquinata est. Eodem teste in libro de peccato originali. Et vel inde con-

*de constat, quia ratio, unde notitia ista deducta, inquinata est. Quare & ea quàtalis, in cœlum non intrabimus. Idem volunt Chrysost. in 23. Matth. August. lib. 3. cont. Iul. Et idem ipse qui infeliciter Zvinglium defendendum suscepit Georg. Sohn. tom. 2. oper. pag. 128. & seqq.*

# III.

An DEVS summè VNVS in essentia? *Sic diximus in definitione. Negabãt olim isti, qui vel duos finxere Deos, apud Just. l. 1. Oros. l. [illegible] 1. Strab. l. 15. vel plures, de quib. alij, et qui triginta Deorũ millia apud August. de civ. Dei, qui tot numina, quot quidẽ ipsis non suppetebant nomina, unde tandẽ Rom. Magistratus jus illud sibi adrogabat quasi Dei loco habendus, quem ipse vellet, apud Tertull. in Apologetico. Et hodiè non desunt, qui bonâ consequentiâ pluralitatem Deorũ se doctrinâ fovere, convinci possunt, Ut PONTIFICII: Non dicemus, quomodo Papa Dei titulum & honores sibi adroget, cum Sanctis adeò eosdem communicet, ut vel istum qui porcis præesse dicitur, Boding in method. histor. c. 5 à plerisq; in Italiâ & Galliâ Norbonensi ardentiore dicat voto, certè majori metu coli, quàm Deum immortalem, sed sic procedemus: Qui plures fingunt creatores, plures fingunt Deos. Pontificij plures fingunt creatores, eosque valdè multos, Sacrificulos scilicet, quos creatores volunt sui Creatoris in Missa. Hinc istud: Qui creavit me, dedit mihi creare se: & qui creavit me sine me, creatur mediante me. Gab. Biel lect. 4. super canon. Miss. Conf. Catech. Rom. p. 542. Plures ergo Deos. Ut CALVINIANI: de quibus id demonstravimus alibi. Nunc è Zanchio adducimus istud considerandum, quod libro 2. de trib. Elohim c. 7. p. 529. tres personas posse asserari vere & religiosè vocari PARTES Dei nempe essentiales, & vel ideo Deum constare iis tribus ceu partibus essentialibus, quod quâ ratione cum summa Dei unitate conciliabis? Ut FLACIANI: Qui substantialiter justus & sanctus est, is Deus est. Sic rectè Gregor. homil. 14. in Evangel. At Angeli in cœlis, etiam fatente Flacio, sunt substantialiter justi & sancti. Dij ergo.*

*Quod diximus, è sacris probamus locis, quib. de Deo agitur.* I. VNO *Deut. 6. v. 4. quod dictum repetitur Marc. 12. v. 29. Adde Zach. 14. v. 9. Malach. 2. v. 10. Matth. 19. v. 17. c. 23. v. 10. Marc. 10. v. 18. Rom. 3. v. 30. 1. Cor. 8. v. 4. 5. 6. Gal. 3. v. 20. Ephes. 4. v. 6. 1. Tim. 2. v. 5. Iacob. 2. v. 19. cap. 4. v. 12.* II. SOLO *Deut. 4. v. 35. ante quem Es. 43. v. 10. extra quem Es. 45. v. 5. non est alius.* III. Primo & novissimo *Es. 41. v. 4. cap. 43. v. 10. c. 44. v. 6. c. 48. v. 12. Apoc. 1. v. 8. c. 21. v. 6. c. 22. v. 13. Contra Philosophos Ethnicos monstrat idem Thomas pag. 1. qu. 11. art. 3. ex simplicitate, perfectionis ut & mundi unitate. Vide Scotum insuper 1. sent. dist. 2 q. 2. Lubentius, his omissis Patrum scholas consulimus: ubi sic eos legimus argumentantes vel Logicè: Ut terra duos Soles ferre non potest, ita nec mundus duos aut plures Deos, cum Sol pulcherrimum & jucundissimum Dei sit simulacrum. Vel Apodictice magis: Summum perfectissimum, simplicissimum, infinitum, impartibile, non potest esse nisi unum. At Deus est perfectissimus, simplicissimus, infinitus, impartibilis, etiam fatentibus reis. Ergo non nisi unus.* II. *Rex regum, Dominus dominantium non imperat cum socio. Ubi enim alias auctoritas maxima, ubi dominium solitarium? At Deus est Rex Regum,*

*Dominus dominantium. Non ergo imperat cum socio. Solus ergo. Unus ergo. Videte copiam locorum apud Ignat. Ep. 8. ad Antiochen. Justin. in exhort. ad gent. in lib. de Monarh. Cyprian. de Idol. Vanitate, August. 1. de Trin. c. 4. Athanas. orat. cont. Idola. Nazianz. orat. 2. de Theol. Ambros. 1. de fide c. 1. Lactant. 1. Instit. div. c. 3. Damasc. lib. 1. Orthod. fid. c. 5. Quæ tamen media ad fidei conclusionem non satis dixit esse sufficientia Biel 1. sent. dist. 2. q. 10. art. 3. Et ipsorummet Ethnicorum contradictiones: in Academicorum Platone Epist. 13. ad Dionysium, Jamblicho de secta Pythagor. Procl. in Theol. Plat. Peripateticorum Aristotele in Metaphys. & Phys. sæpius, Theophrasto de Sapor. Stoicorum Senecâ apud Lactantium lib. 1. Ciceron. de nat. Deor. lib. 2. Poëtarum Phocylide, Sophocle. Sed quæras, cur ergo Lutherus vocabulum ὁμοούσιος rejecit, cur negavit quod pater & filius sint ὁμοούσιοι? Scilicet id rejecisse, id negasse Lutherum ait Campianus Iesuita art. 8. Bellarmin. præfat. controv. de Christo. Possevin. lib. 3. de not. verbi Dei p. 68. & nuper quidam nobilitius, qui Tubingâ accepit responsum. Equidem quid ij, qui à Luthero ipso confossis tom. 2. op. Jen. p. 407. triumphant, mærentur? Nempe qui hypotheticas propositiones (qualis Lutheri) cum Categoricis confundunt, Categoriâ digni sunt.*

## IV.

*Succedunt de attributis divinis, quæ ab ipsâ Dei essentia realiter non differre, Christianus nemo dubitaverit, quæstiones: quæ quando variæ sunt, & in plures alios doctrinæ Christianæ articulos dispersæ, de quatuor potissimum hic quæremus, de quibus non nemo ex antiquioribus quærendum singulariter existimavit.*

*Primò: Estne Deus absolutè simplex? Contrà enim dixêre Marcellini, Arnaldistæ, Abelardiani, Antropomorphitæ. Contrà. I Quis Deum composuisset? ipsemet? At sic seipso fuisset prior, ceu componens composito. Alius? At sic Deo iste fuisset potentior, superior: quod enim fit, patitur; quod patitur, à potentiore patitur II. In omni compositione, sive diversarum rerum conjunctione, res istæ considerabiles sunt, ut plura Entia incompleta, vel si unum est completum, adjuncta tamen erunt incompleta, & unumquodq; eorum, esse suum habet sibi analogiâ respondens. Quando nunc Deus, ex pluribus constat Entibus incompletis, dic sodes, an quodlibet eorum ex se habeat esse suum proprium, & non ab alio, an verò unum ibi quod habeat suum esse primò, & à se, cætera verò inde dependenter. Quod si primum, absurda dicis: nam plura Entia ex se necessaria dari nequeunt, & in omni compositione unum componentium vel alteri præsupponitur, vel alterius est principium, aut illo perfectius: Sin posterius, & hic absurda: Nam totum illud compositum non esset Ens à se, independens. III Nec ulla compositionis species excogitari poterit, quæ Deo competat.*

*Hoc est, quod scriptura Deum incorporeum vocat & spiritualem Luc. 24. v. 39. Ioh. 4. v. 24. Ratio consentit: Quod ἀπαθὲς, est incorporeum. Corporeum namq; ex Elementis coalescit & in eadem resolvitur, & propterea non ἀπαθὲς. Atqui Deus ἀπαθὴς. Non ergo corporeus. Antropomorphitæ, qui in cõtraria statione duces sunt, propriis hypothesibus, sic constringuntur: Si propterea Deus habet corpus quale homo,*

quia

quia scriptura describit eum tanquam humanis membris præditum, equidem homo non erit ad imaginem similitudinemq; Dei factus. Nam & alibi Deus introducitur septem habens oculos, cum tu tamen non nisi habeas duos. Sic vicissim alibi modo alio. At posterius ipsis Antropomorphitis est absurdum, teste Theodoreto in Genesin. Et prius ergo. Deducimus hincce variaut I. Deum non esse sub aliquo genere, nisi æquivoco dixeris contra Occamum in 1. dist. 8. q. 2. Gregor. Arimiens. ibid. q. 3 Gabr. Biel q. 1. Goclenium, Keckermannum passim. Nam ubi genus, ibi materia, ubi materia ibi forma, ubi utraq; ibi compositio Syllogismum notamus: Quæ differunt plus quàm toto genere, non sunt sub eodem genere. At Deus & creatura differunt plus quàm toto genere Esa. 40. v. 7. 8. 17. 18. Ergo. II. Volitionem Dei ad extra, sive volendi actum in Deo ab ipsius essentia realiter non differre contra Joannem Bodinum in theatro natur. l. 1. p. 28. & seqq. & ut nonnulli putant, Justinum Martyrem in quæst. & resp. ad Græcos q. 3. p. 135. &c. edit Comelin. Nos autem Iustinum ab ipso errore absolvimus, siquidem liber Iustini esse non potest: nam quæst. 1. pag. 122. 124. 125. & seqq. contra Manichæos disputatur, quos post Iustinum longo vixisse tempore norunt historiæ Ecclesiasticæ initiati. Ubi summa simplicitas, ibi summa unitas: ibi nec ἄλλο καὶ ἄλλο. III. In Deum non cadere accidens contra hæreticos apud Cyrill. lib. 11. Thesauri cap. 1. refutatos, quibus cum parum abest, quin faciat Goclenius. Esset enim aliàs compositio in eo ex substantia & accidente. IV. Præsentiam Dei apud omnes creaturas non esse crassam, quam vocant ita, qui istam defendunt Calvinisequæ. Ratiocinantur ij, ut rectè Lutherus etiam in Confess. majore conquestus est, divinitatem crasso sensibiliq; modo ubiq; esse, perinde ac si Deus tam amplum & diffusum quoddam sit, quod & per & super omnes creaturas se extendit. Hoc inde conjicitur, quod nobis imputant, nos extendere & expandere humanitatem, eamq; Divinitati, ceu sepem circundare. Quæ verba perspicuè sonant de corporeo crassoq; illo præsentiæ modo, de quo alibi.

Secundò An Deus omnipotens? Contrà dixêre Carpocratiani, Messaliani, qui hominem sub potestatem non Dei, sed Angelorum malorum referebant. Et alij apud August. lib. 1. de Symbol. cap. 1. lib. 5. de civit. Dei cap. 10. Sic Plinius: hoc ævo Calviniani (inconstantes tamẽ) undeundiq;. Quid eo apertius quod Gen. 17. v. 1. Dominus apparuit Abrahamo, & dixit ei; Ego sum omnipotens Deus? Et ut de alijs taceamus longè plurimis, quæ Matth. 3. v. 9. Luc. 1. v. 37. c 3. v. 8. Eph. 3 v 20. &c. Concludimus: Cui NIL difficile, eidem nil impossibile. Atqui Deo NIL difficile Gen. 18. v. 14. Nil ergo impossibile. Et vel istud ratione naturali probari posse invito Scoto, invito Biele 1. sent. dist. 42. sic monstramus. I. Quæcunq; in rebus creatis sunt perfectiones, eæ modo perfectissimo in Deo sunt, Durando probante. Atqui creaturis ista competit perfectio, quod agendi vi præditæ. Perfectissimo ergo modo competit Deo. Et cur non competeret? esset impedimentum vel in ipso Deo, vel in rebus. Non in Deo, hic enim sibi non repugnat, est purissimus & perfectissimus actus, nec in rebus; aliàs ipsi par aliquid foret, tum etresistentia in rebus inde est, quod contra naturam suam aliquid patiuntur, ast ut Deus vult, talis & rei natura est. Ergo. Atque hinc est, quod Ethnici vetustissimi istam omnipotentiam Dei celebrarunt, Aristoteles in-

primis lib. de mundo ad Alexand. & alij, de quibus Th. Zvingeri Philosophia poëtica, & è priscis Iustinus in exhortat. Iejunas & curiosas Scholasticorum quæstiones, etiam Emsmo adsentiente, hinc sequestramus. Deducimus autem, ut nihil contra promittentem Deum adseverari debet, iniquè fic' facere Calvinisequas qui sacris rationibus destituti ad Vilosophicè philosophicas se recipiũt rationes, quas verbo Dei Gigantæo ausu opponunt. Opponimus ijs dem præceptorum in scholâ istâ & antecessorum sententias, Bezæ in Epigr. 249. Sadeelis in præfat. oper. Theolog. de metho. Fidei Theol. Aret part 1. problem. Zanch lib. 5. de nat. Dei cap. 2. P Martyris class 2 locor. Theolog. cap. 1. § 25. Mornæ. Præf: lib. de ver. relig. Et lib. de Eucharist. ipsius Antesignani Calvini, qui indignum ait ad eam legem opera Dei redigere, ut simul ac eorum ratio nobis non constiterit improbare audeamus lib. 3. Instit. cap. 23 sect. 4.

Tertiò: An OMNIPRÆSENS essentiâ? Contrà dixit Averroes & nunc Calviniani, de quibus monstravimus hoc alibi Nos adserimus, quia Deus immensus Iob. 11 v. 8. Psalm. 145. v. 3. & 11. omnipræsens disertè dicitur 1. Regum 8. v. 27. Psal. 139. § 7 8 9. Ierem. 23. v. 23. 24. Act. 17. v. 27. III. Agens immediatè in rem aliquam, requiritur ut ei conjungatur, & virtute sua contingat. Thomas p. 1 quæst. 8. art. 1. At Deus agit immediatè in omnes res. Probat ibidem. Ergo. De omnipræsentiæ hujus modo alibi. Deducimus inde istud: Deum non esse in omnibus locis, ut sunt loca Physica. In loco enim sic esse & ubiq; esse passim opponit D. Augustinus cum aliis. Quid autem si Calvinianos ductores hic sequamur? Concludimus: Qui Deum auctoritate tantum volunt ubiq;, & non essentiâ, isti DAMNANDI. Sic ait Tilenus in disputationib. d. 11. pag. 29. quæ disputationes à Calvinianis, qui maximi sunt nominis approbatæ, secundùm prodiêre. At volunt id Calvinisequæ. Damnandi ergo Nisi potius delectentur conclusione hac: Qui Deum dicit esse in Calvinianis, is Calvinianos dicit esse Deos. Probet hoc, qui dixit, Calvinianus Pincier tract. 4 de cœn. pag. 371. At dicunt Calviniani hoc, ipsimet, quando eum ubiq; dicunt. Ergo ipsimet dicunt se Deos!

Quartò: An VERAX? Contrà dixere Jacobitæ, Armeni circa annum Domini 640. v. Niceph. lib. 18. cap. 33. & nostro seculo expresse Pontificij. Quid enim aliud iste de Valentia in anal. p. 343? Non satis, ait, constare videtur, omne illud infallibile, quod divinitus est dictatum: Quia videtur Deus non semel falsum per se aut per alium dixisse. Contrà dicitur Deus veritas & verax Deut. 32. v. 4. Joh. 3. v. 33. cap. 14. v. 6. Rom. 3 v. 4 Apocal. 6. v. 10. qui mentiri non potsit Num. 23. v. 19. 1. Sam. 15. v. 29 Malach 3. v. 6. Heb. 6. v. 18. prout & complementa promissionum & comminationum ostendunt. Quod si spectes veritatem in sensu Metaphysico: Ens & Verum convertuntur, Deus est summum Ens, summa ergo veritas, sive sensu Ethico: Veritas est perfectio, quia virtus, Omnes autem perfectiones Deo insunt, & quidem modo perfectissimo. Unde omnem scripturæ & fidei nostræ certitudinem deducimus. De attributis aliis Dei sive ea ἀποφατικὰ sint sive καταφατικὰ, sive absolutè, sive cum relatione ad creaturas de eo dicantur, sive propriè sive impropriè, sive in abstracto sive in concreto videbimus per occasionem in locis aliis, ut cum invisibilis dicitur Ioh. 1. v. 18. 1. Tim 1 v. 17. c. 6. v. 16. Col. 1. v. 15. æternus Gen. 21. v. 33. Esa. 40 v. 28 Rom. 16. v. 26.

v.26. Principium & finis Psalm. 90. v. 2. Esa. 43. v. 10. c. 44. v. 6. mutationis expers. Numer. 23. v. 19. Mal. 3 v. 6. Iacob. 1. v. 17. Omniscius Psal. 94 v. 9. Daniel. 2. v. 22. 1. Ioh. 3. v. 20 sciens cordis intima 1. Sam. 16. v. 7. Jer. 17. v. 10. & futura Esa. 41. v. 23. cap. 42. v. 9. cap. 44. v. 7. Sanctus Esa. 6. 5. Apocal. 15. v. 4 Bonus Matth. 19. v. 17. Iustus Psal. 5. v. 4. 11. v. 7. Misericors Exod 34. v. 7 Num. 14 v. 18. Psalm. 103. v 8. De quibus Patrum orthodoxorum scripta longè sunt refertissima.

# V.

De Dei appellationib. vel nominibus si quæ inter cordatos controvertuntur, ut nostram dicamus sententiam, dabit diexodus. Adi autem Dionysium peculari tractatu. Plæriq; non sine omine suspicantur quodam fieri, quod appellatio Dei omnibus ferè populis sit quadrilitera: Sic Hebræis Jehovah Adonai, Ehejeh, Assyriis Adad, Persis ϛυρὴ, Arabibus Alla, Ægyptiis Θωιὺ, Magis ὀρσὴ, Illyricis Bogi, Turcis ἀγδι, Hetruscis ἐσαρ, Græcis Θεὸς, Latinis Deus, Hispanis Dios, Italis Idio, Gallis Dieu, Germanis Gott / novi orbis Incolis Zimi, de quibus vide P. Gregor. libr. 6. Synt art. mirab c. 2 Neq; video quàm ultrò sequatur, quod nonnulli per primã literam in nomine Iehovah denotari adserunt personam Patris, per secundam Filij, per tertiam Spiritus sancti, per quartam naturam Filii humanam, quæ ad Trinitatis consortium evecta est. Et quorsum quod nonnulli de nomine Dei, quod duodecim ajunt literarum, anne tale sit & quæ ab eo mysteria? Utilia de divinis nominibus si cui cognoscere volupe est, legat Hieronymum tom. 3. oper. P. Galatinum libro secundo capite nono & sequentibus, & alibi. Petr. Fabrũ de divinis nominibus, Damasc. August. D. Luth. cum D Chemnitio, ubi videbis illico vanam esse Possevini l. 8. Biblioth. p. 418. jactantiam, Lutheranos si quid solidè de hoc articulo evulgarũt, in vitulâ Pontificiorum arasse nimirum è Pontificiis, quos prius blasphemè accusarint, tanquam ex fidis armamentariis tela omnia petere coactos esse adstruit. Hoc quærere possis, cum PATRIS appellatio hîc non semper ὑποϛατικῶς, utcũ cæteræ personæ inter se componuntur, & divinitas intra se describitur, sed & aliquando ὀυσιωδῶς cum divina humanis, æterna caducis, cælestia terrenis opponuntur, usurpetur, An sic Deus omnium hominum Pater? Audacter Beza contra Castell. vol. 1 pag. 344. Venio, ait, ad aliud non minus absurdè scriptum. Omnes homines, inquis, sunt Dei fætus: quia Deus est Adami Pater, ex quo omnes homines nati sunt. Primùm respondeo contra scripturæ consuetudinem te facere, qui Patris nomen promiscuè & omnium semel hominum respectu Deo tribuas, id est, qui quod unius Ecclesiæ in Christo proprium est, cum alienigenis etiam communices. Et iterum fol. 343 dicit Deum ex quo Adamus peccavit, Patrem esse desiisse in Adamo generis humani. Eorum autem, quos ab æterno elegit, in altero Adamo patrem esse cæpisse. Sic Beza: Quem I. cogitasse oportebat, quoties immorigeros Israëlitas Deus vocet suos filios? Vel II. si non è Pelicano, Collegâ tamen Calvino didicisse quod Mal. 1. v. 6. Deus pater illorum dicatur, qui in peccatis pristinis permanent, Deum neq; amore, neq; timore venerantes. III.

Rectius

Rectius perpendisse quod Mal. 2.8. 10 dicitur. Numquid non pater omnium nostrum? Numquid non Deus unus creavit nos? Ait quidem locum Malachiæ perperam accommodari, cum potius ad unum communem Israëlis patrem, sive Abrahamum, sive Iacobum referatur fol. 344. quam sententiam Bezæ etiam Gualtherus sequitur homil. 6. in Malach. Prophetam p. 647. edit ann: 92. Adamum intelligit junius. nobiscũ Piscator. Sed cõcludit Beza contra Prophetæ dispositionem & exegesin & locorũ similiũ congruentiam, ut Matth. 23. 8. 9. Patrem nolite vocare super terram &c. Esai: 64: 8. Et nunc Domine, Pater noster es tu, nos verò lutum: & figlior noster es tu, & opera manuum tuarum OMNES NOS. Quid? quod c. 63. 8. 16. populus Israël soli Deo patris nomen ita tribuit, ut Abrahamum prætereat. IV. Cogitasse quod Apostolus Eph. 4. 8. 6. Unus DEUS ET PATER OMNIUM. Sed quid plarique Calviniani de isto Bezæ commento sentiant, constat inde quando per spiritus quorum Pater Deus dicitur Heb. 12. animas intelligunt. Hinc enim colligitur: Si Deus pater animarum est, est & omnium hominum, sic expresse Genevenses. At Deus pater animarum est (Calv.) Ergo & omnium hominum, quod est contra Bezam. De Personarum autem Trinitate videbimus disput. sequenti.

## VI.

Equidem quæ M Iohannis Lampadij circa hunc locum sententia, divinatione conjiciatur opus est. ita fluctuat. Quis ista conciliabit, quod à rebus naturalibus ad Deum legitimè formatas conclusiones, vel declarationes potius, nunc reprehendit pag. 66 nunc laudat pag. 67.? Vel quis ignorantiam ejus (molli enim vocabulo exprimere adlubescit) excusabit, quando immensitatem Dei attributum Dei dicit absolutum pag 67. & tamen per relationem definit pag. 66. quæ ignorantia ipsi familiaris est, nam & corporis circumscriptionem à loco principium corporis vult formale, cum tamen corporis essentia absolutum quid sit, quod pueros scivisse volebat Ockamus. Ut de malitiâ in reprehendendo Luthero circa vocabulum ὁμοούσιος nil dicam pag. 45. De idiomatibus divinis quâ ratione ea neget Lampad alibi diximus: de unicâ Dei essentiâ nunc videamus. Hanc enim Lampadium agnoscere crederemus? Utiq; si salva debent esse quæ inculcat pagina vigesima quinta, 54. 55. hic syllogismus procedet: Quod unitum est humanæ in Christo naturæ, id tribus in unâ divinâ essentiâ personis non est cõmune. At humana in Christo naturæ essentia divina, vel natura unita est, prout & ante Lampad. Bremæ docuit Ioseph. Grabius Ergo trib. in una divina essentia personis non est communis: hoc est, Deus trinus in personis non erit UNUS essentiâ. Ut porrò cum amicissimo Martinio collegâ transigat Lampadius, sic argumentamur: Qui negat cõmunicata Dei sapientia communicari necessariò omnipræsentiam, iste Iehovæ negat essentiam unicam. Docebit id Martinius in incisione p 93. At Lampadius communicatâ Dei sapientiâ communicari negat necessariò omnipræsentiam Vide enimquàm graphicè contra B. Phil. Nicol. scribat: Non valet argumentum à sapientia ad Ubiquitatem pag. 55. Ergo negat Iehovæ essentiam unicam. infidâ fide. Quanquam hoc arridere possit Lampadio è strage à pagina 31. ad 39. extructum: Cui proprietas competit divina, est ipsa Deitas. At fidei Lampadianæ proprietas (non una) competit divina. Ergo erit ipsa Deitas. Absurdum.

# DE DEO.

QUi est, *descriptione Hebræorum brevissimâ*, JEHOVAH ELOHIM, *Exod. 6. v. 2.*

quâ Trinus est,

## *Quæritur.*

### I,

An DEUS in essentiâ unus, in personis trinus esse rectè ab Ecclesiâ credatur? *Hoc enim est, quod olim negabant Noëtus, Sabellius, Praxeas, nunc Transylvani magno numero, alyi de quibus diximus alibi. Trinum autem Deum dicimus nō Triplicem, sic enim minor esset Pater solus, vel Filius solus, quàm simul Pater & Filius solus; cum igitur tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus S. quantus est simul Pater & Filius & Sp. S. nullo modo triplex dicendus est Deus, ut colligit August. l. 6 de Trin. 7 p. 442. unde Thomas Triplicitatem inæqualitatis denotare comparationem & essentiæ multiplicationem ait adstruit part. 1. q. 31. artic. 1. quam in Deum cadere, absit ut quis dicat. Quod si non triplex, etiam si rectè judicabis, nec nomen ἴδιον, quo Germani personarum Trinitatem exprimunt, satis aptum erit. Idemq; D. Luthero in mentem venisse potuit, quando è Germanorum precibus solemnibus (Litanias vocant) precandi formulam voluit expunctam; Sancta Trinitas, Unus Deus, miserere nobis, qui aliàs Trinitatis vocabulum, ut & Τελάδωρον minus ferre potuit ac olim Iustin. Martyr, Tertull. Clemens Alexandr. Origenes, quicquid mentiatur Bellar. præf. controv. de Christo. Morosiori, totidē literis Trinitatis vocem in sacro canone scriptam non extare, atq; ob id rejiciendā contendenti, opponimus hocce: Posito alicujus rei concreto, ejusdem inibi & consequenter abstractum poni certum est. Atqui in sacris literis ponitur nominis, Trinitatis, concretum. Vide hoc in 1. Ioan. 5. v. 7. Ergo & abstractū inibi consequenter poni certum est. Triadis autem voce non ternariū numerum numerantem absolutè & simpliciter, sed Metonymicè rem numeratam, tres personas dico, in unitate essentiæ Dei accipimus. De vocabulo ὑποστάσεως, num quatenq; personā denotat, sit ἐγγράφον sollicitè laborāt. Adfirmant hoc Calv. l. 1. inst. c. 13. sect. 1. Zanch. 1. de trib. Elohim. c. 2.*

*Ursinus in Catech.p.2.q.25.& Bellar. 2.de Christ. c.4.quanquã Bell. ipse viderit, num ex propriis verbis, quæ ex Gregorio, Nysseno, Athanasio, & Basilio confirmat l.2.de Christo c.25.refutari poterit, nos interea constanter negamus. Ad institutum: Quæri diximus, An Deus in essentia unus, trinus sit in personis? Adfirmamus.* Nõ enim tantùm *personarum pluralitas adfirmatur in sacris I.sub nomine plurali Elohim de Deo usurpato Gen:1.v.1.c.20 v 13.c.35.v.7. Ios.24.v.19. Psal:58.v.12.149.v.2.Esa.44.v.2.c.54.v.5.Ier. 10.v.10.c.23 v.36. II. Locis, in quibus unus Deus verus semetipsum in plurali numero adloquitur, quorum locorum in universâ scripturâ quatuor, & non plura ajunt esse Theologi, ut Gen.1.v.26. Gen: 3.v.22.c.11.v.7.Esa:6.v.8. Quanquam & videatur non incommodè Reuchlinus in notis ad primam quæstionem Athanasii huc retulisse locum è Mal:1.v.6.incommodè autem Pererius alium locum adjungit comment.sup. Genes: ex Gen.2.v.8.quem tamẽ alii multi sequuntur tom.1.v.in Gen:lib.4.pag.155.hunc: Faciamus Adæ adjutorium, decepti vel versione 70 interpretum, vel translatione vulgatâ: nam in Hebræo non est pluralis numerus. III. Sermone, quo Deus de Deo, Dominus de Domino, Iehova de Iehova aliquid loquitur, de quo eleganter videas Lutherum in lib.de ult.verb.David. Exempla autem sunt Gen:19.v.24.Exod:34 v.5.6. Psal. 45,v.8.Psal:110.v.1.Esa:60 v.19.Ierem:23.v.5.c.33 v.15.Dan:9.v.17. Zach.2.v.8.9.& in Oseâ cap. 1. vers.7.* Sed & *tres esse in una divina essentia personas, significatur & in Veteri&, clarius tamen, in novo Testamento. In Veteri, ex apparitione ista singulari trium virorum Gen:18.v.1.colligunt hoc Patres Gregor.Nissen. de Trinit:Cyrill.l.1.contra Iulian: August:serm:70.de tempor.l.16.de civ. Dei cap. 29.l.2.de Trin.c.11. quã huc & nos quidem adducimus, sed latius extendi non patimur, quàm â Luthero factum videmus sup. cap.18.Genes:p.216. Sufficiant nobis collectiones I. ex triplicato nomine Dei & Iehovæ, quorsum spectat benedictio, quam sacerdotes, observante Capnione l 3.Cabal:p. 879. tribus digitis in utraque palmâ erectis, reliquis autẽ duobus depressis pronunciabant Num:6.v.23.24 25.26 Vide quoq; Esa:33.v.22.Ier:33.v.2.Dan:6.v.19.II.Triplicato nomine Sancti Esa.6.v.3.in τρισαγίῳ Angelorum ad Filium & Spiritũ S. applicato, Ioh:12.§ 41 & Act. 28.§ 25.26. III. Distinctè etiam satis tres personæ in Divinitate numerantur Gen:1.v.1.2.Psal:33.v.6.Esa:61..v.1.c.63.v.7.8.9.10.*

*In Novo, Trinitatis I. est patefactio in Baptismo Christi, quâ non reperitur in scripturis sacris illustrior Matt:3.v.16.17.Marc.1 v.10.11 Luc:3 v.22. Apparuit Pater in voce, Filius in homine, Spiritus sanctus in columbâ, ait Augustinus tract.6.in Iohann. ut etiamnum contra novellos & in Transylvania & in Polonia Antitrinitarios proverbii loco usurpare & circumferre possimus istud, quod olim erat Athanasii & Epiphanii:* Comitare Iohannem ad Iordanem, & videbis. *II. per particulas. Ex, Per, In, quæ tamen aliquando permutantur, Trinitatis denotatio est, inprimis Rom.11.v.35.36. III. Distincta personarum Patris, Filii & Spiritus Sancti facta mentio. Vide ut emineant illa 1.Ioh:5.v.7.Apoc:1.v.4.& 5.Sic & Rom. 8.v. 11. Gal.4 v.6.Eph:1.v.15.16 17.c.2.v.18.c.3 v.16.Tit.3.v.4.5 6.ut & istud huc referre possis, quod Christus mandat baptizare in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Matth.28.v.16. Unde Basilius: Baptizari nos oportet, sicut accepimus,*

credere

credere autem sicut baptizamur, glorificare autem sicut credimus Patrem, Filium & spiritum sanctum. Vide insuper quorsum abducant novellos istos Transylvanos propriæ hypotheses: scilicet si vera esse debent quæ circa hæc Racovienses in Catech. pag. 48. habent, non modò omnes articuli fidei, sed plaraq; ipsorummet dogmata erunt abneganda.

## II.

Anne ratione naturali DEUM unum, in essentiâ, trinum esse in personis probari potest? Iudicant posse, Scotus 1. sent. dist. 2. q. 10. Raimundus de Sabæudi in Theol. nat. capitibus septem: & exemplis illustrant Ludovic. Vives de verit. fid. l. 2. c. 2. Mut Pansa de osc. Christ. & Ethnic. Phil. c. 36. Morn: l. de verit. relig. Christ. c. 6. Lombardū quoq; Bellar. & Iustin. huc referre possis, quorū hic λόγον ἀπὸ μέρους notum fuisse ait Socrati, & ista addere, quæ Barthol. Georgiev. de Turc. morib. c. 5. habet, Musulmannos omne opꝰ hisce tribus verbis incipere, quæ & singulis capitibus Alcorani præposita sint, quæ & præmittant cum assident mensæ, manus abluunt, orant, lotione peracta, ter eadem repetant: Bi sem Allahe, el Kahmane el Kuoahim, hoc est in nomine Dei, misericordiæ & spiritus eorum. Sic & Scegkius in Antitrin. & cont. Genebr. adserit perfectè in potentiis animæ repræsentari Trinitatem, & ex eo fundamento vel Philosophicè Antitrinitarios posse refutari. Keckermannus item in Syst. Theol. totus in eo est, ut Philosophicis rationibus probet Trinitatem personarum in una essentia. Hui quàm lubricè, inepte, & quod primum est, inconstanter! Rectiꝰ Thomas p. 1. q. 33. art: 1. dupliciter fidei Christianæ eum derogare dixit, qui Trinitatem personarum naturalibus adstruere vult rationibus, I. quia fides de invisibilibus, quæ rationem superexcedunt. II. Quia ludibrio sic fides exponitur derogaturq; fidei, quantū ad utilitatem alios ad eam trahendi, credunt quippe pagani, quod hisce rationibus non satis Apodicticis præcipuè nitamur (Conf. ad eam rationē Fab. in comm: Rich. 1. de Trin: c. 1.) III. Adde Christi ipsius dictum Mat. 11. v. 27. Nemo novit Filium nisi Pater, & nemo Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. IV. Idem demonstrari potest è dicto Esa. c. 40. v. 18. Patrum similitudines quod spectat, quas quidem ad declarandum hoc mysterium investigarunt, dicitur rectè eas ad vivum non esse resecandas, apud eos autem qui doctrinā hanc è verbo Dei jam didicêrunt, non sine delectu usurpandas, extraneis non sine ludibrii periculo istiusmodi picturas proponi posse. Equidem si ἐν πλάτει sumas, in omnibus ferè creaturis Trinitatis invenies vestigium, non modò in istis, quarum exemplis August. l. 9. de Trin. c. 4. & c. Cassiod. ad Psalm. 50. Basilius ad Nazianz. Lact. 4. instit. c. 29. Tertullianus & similes utuntur: sed etiam ut Luth. dicebat in colloq. mens. c. 4. Herbis minimis & floribus, quæ habent formam, quâ Deus pater denotatur: Odorem seu saporem, quâ Filius, vim seu effectus, quâ Spiritus sanctus. Similia sunt, in quibus tamen dissimilia plura, quæ in aliquibus etiam notavit ipse D. August. l. 15. de Trin. c. 7. Quomodo Keckermanni aliorumq; hypotheses se evertant, monstrabimus in ipsa disputatione. Nunc de isto saltem, quod priscam Philosophiam Trinitatem ajunt docuisse, idq; non novelli modò sed et Eusebius, Clemens Alexandrinus, Theodoretus. Brevi-

ter. l.

ter, l. vel dicta ista Ethnicorum planè ad Trinitatem accommodari non possunt, idq; ut plurimum II. vel si maximè possunt, non tamen eo modo ab ipsis Ethnicis intellecta fuêre, si quid de Filio dicebant, loquebantur magis, quàm quid loquerentur, scieb ant vel intelligebant, ait verè Lud Vives lib. 2. de verit. fidei Christ. c. 2. III. Vel si intellexêre, didicerunt hoc in scholis Palæstinis, Ægyptiacis, Assyriacis, in quibus doctrinæ Patriarcharum manserunt reliquiæ. Sic Euseb. lib. 9 de præparat. Evangel. cap. 3. è Clearchi tractatu de somno multa Judæi cujusdam ministerio Aristotelem didicisse ait, sic accommodatius Franc Georg. in harmon. tom. 1. c. 1. testatur invenisse se in Hebræorum tabellis Aristotele ad Iudæa loca navigasse, Platonis Epistolio perductum. Vide in similem sententiam Diodor. l. 2. histor. cap ult. Greg. l 1. contra Celsum, Iustin. Apol 2 pro Christ. Cyrill. Alex. l. 1. cont. Iulian. Lactant, 4. instit. c. 6. 7. Aug. l 18 de civ. Dei c 36.

## III.

Quomodo PERSONÆ DIVINITATIS distinguuntur? Gabriel. Greg. Ariminensis, Scotus 1. sent. dist. 26. dicunt personas se totis distingui & constitui secundum rem: Linconiensis constitui & distingui per proprietates quasdam absolutas, Thomas, per relationes part. 1. q. 40. art. 2. Bonaventura per origines ad librum 1. sent. Damascenus lib. 1. cap. 11 è Nazianzeno personas ait differre non reipsa, seu essentiâ, sed τῇ ἐπινοίᾳ propter alium atq; alium subsistendi modum. Noetiani apud Epiphanium hæres. 27 tom. 1. lib. 2 intellectualem tantum fingunt differentiam, quibus favere cæpit Keckermannus. Tritheitæ apud Athanas. essentialem. Qui turbari variis opinionum fluctibus nolumus, dicimus personas Divinitatis differre REALITER, personaliternempe τρόπῳ ὑπάρξεως distingui. I. Hoc n. est, quod Iohannes testatur c. 1 v. 2. ad quæ verba Rudolphus Ardentius in homil. super Euang. Ioh. 1. sanè ait hæc præpositio (Apud) non localem, sed personalem designat distinctionem. Itaq; in principio erat verbum apud Deum, tanquam alius apud alium. Ergo addit Ferus ibidem, Filius est persona discriminata, et alia à Patre, dum audis, alteram esse vel fuisse apud alteram II. Evidens est & notabile quod Ioan. 8 v. 17. pro reali personarum distinctione dicitur, ubi realē distinctionem apertè idem doceri, docet argumenti deductio III. Idem è Filii incarnatione, Spiritus sancti visibili effusione, Filii & Spiritus sancti missione, argumentis etiam pro Personarum Trinitate probanda allatis colligitur. Confidimus quoq; hinc Keckermanni nugas refutari sat posse, quando personas in Deitate non realiter, sed modaliter, Sabelliano ingenio, ait differre lib. 1. Theol System. cap. 3. adeòq; Personam Modum, hoc est, seipso interprete, Non Ens, sibi ipsi in Systemate Theologico & Logico passim contradicens. Quem anne jure rident Arriani? anne nos meritò dolemus tales Arianizantes pro orthodoxiâ adserendâ prosilire ad palæstram publicam? Iure omninò. Quæ per species deducere non instituimus cum plæraq; Philosophica sint, rationes nostræ diversitatis cuilibet petenti tamen daturi. Definitionem personæ Melanchthonis retinentes, propriis hypothesibus sic Kecker. cōstringimus: Differentia, quâ persona differt ab essentia, nō potest esse ea,

quâ

quâ persona differt à persona. Nam expressè non de persona essentiam, ut sic de persona personam prædicari posse adstruit Keck. sed aliquando valdè inconvenienter. At differentia, quâ persona ab essentia differt, est Keckermano modalis in System. Theol. Ergo ista, quâ persona à persona distinguitur, modalis esse non potest.

## IV.

De singulis personis seorsim quærendum est. primâ quæstione originis, naturæ diceret Thomas, sed vix tutò, Pater est (à Patre enim existunt Filius & Spiritus sanctus, sed non pest illum ait Gregor. Nazianzen. l. 3. de Theol.) quod verè Deus sit de eo lis nulla movetur. De 2dâ Divinitatis personâ Dei Filio audiemus disputatione sequenti. Nunc de tertiâ Spiritu S. quæ persona non est cum Patre & Filio confusa sed à Patre Filioq; distincta, ut ait Athan. lib. de Spiritu sancto. De quâ duo præcipuè disputantur I. An Spir. S. verè & essentialiter Deus sit? Propter Pontificios, ne ii hic errent, edicimus nos eorum Spiritum sanctum non intelligere. Quis iste autem? dabit hoc Syllogismus: Solum peccatum in Spiritum sanctum est irremissibile Mat. 12. v. 32. At peccatum in Papam est irremissibile. Sic enim habetur in Decretalibus eorum cap. Violatoris can. 25 q. 1. Ergo peccatum in Papam est peccatum in Sp. S. Ergo Papa juxta Pontificios est Spiritus S., redivivus Simon Magus puta. De tali spiritu non loquimur, sed de tertia sacrosanctæ Trinitatis personâ quæ peculiariter Spiritus dicitur, quod indissolubile vinculum sit Trinitatis, tanquam propriè sanctus, quod sit donum Patris & Filii, omnem sanctificans creaturam, quamvis Pater quoq; & Spiritus & sanctus, itemq; Filius & Spiritus & sanctus sit, ait Divus Bernhardus serm. 3 in festum Pentecostes pag. 164. De hujus Deitate quæritur, quam aliquando negabat Paulus Samosatenus, adserens Spiritum sanctum nihil aliud esse quàm ἐνέργειαν ἀνυπόστατον in cordibus Electorum creatam, Helcesaitæ in Arabia Spiritum sanctum sororem Christi dicentes: Ariani Spiritum sanctum per contumeliam κτίσμα τῦ κτίσματος adpellantes, Semiariani serv̄um Dei eū facientes, Cerdonistæ, Manichæi creatum spiritū eum proclamātes quorum errorē auriga quidā nostro ævo renovare voluit, & post eum Pneumatomachi Transylvani, quibus & Lombard. cōseq; accēsere possis contra I. Cui nomen Iehovæ & veri Dei tribuitur absolutè & simpliciter, is verè Deus est, cujus propositionis robur in illo Esaiæ est cap. 42. v. 8: At qui nomen illud Iehovæ & veri Dei Spiritui sancto absolutè & simpliciter tribuitur. Hoc a. est de quo quæritur. Nam invenies qui in scriptura dicat NUNQUAM, Spiritum sanctum Deum esse adpellatum. Sic enim Andreas Fricius Modrevius tract. 3. p. 115 116. Idq; dicit ex Erasmo qui idem affirmantem vult adduxisse Nazianz. in orat. de Spiritu sancto, quum tamen, propositionem istam nudè ita formatam: Spiritus S. est Deus, in scriptura extare tantum neget Naz., aliàs aliter, unde & subjungit quædam non esse in scripturu & tamen dici, quædā esse & non dici, quædam neq; esse neq; dici: quædam tamen dici quam esse. Thema nostrum probare instituimus: Is qui in Prophetis ad populum loquebatur Israëliticum, appellatur verus Deus, Iehovah Exod. 4. v. 12. Num

2.v.6.2.Sam.23.v.3.1. Reg.18.v.12.Psalm.80.v.9.Esa.1.§2.Luc.1.§70. Atqui is Spiritus sanctus est, ut concilium Constantinopolitanum rectè conclusit ex 2.Samuel 23.v.2.Zach.7.v.12.Act:1.v.16.c.28.v.26 Ephes:3.v.5.2.Petr:1.v.21. Sic: Qui Israëlitas duxit per desertum, est verus Iehovah Deut:32.v.12. Atqui is qui duxit, Spiritus sanctus est Esa:63.v.11.14. Sic: Qui ab Israëlitis in deserto tentatus & exacerbatus est, is verus dicitur Iehovah Psalm.78.v.17.18. At verò Spiritus sanctus iste est Esa:63.v.10. Sic: Qui ad Esaiam dixit: Vade & dic populo huic, audite & non intelligite, est verus Iehovah. Esa.6.v.8. At iste Spiritus S. est Actor. 28.v.25.26. Verus ergo Iehovah. In Novo instrumento exẽpla multa sunt. Sic Paulus quando agit de donorũ varietate, eorũ auctorẽ facit Spirit. S. quem apertissimè appellat Dominũ (Iehovah) & Deum 1.Cor.12.v.4.5.6. Sic Pet. Act:5.v.3.4 Conf.c.13. v.4.c.16.v.6.1.Cor:4.v.19, & si vis, confer cum Cyrillo l.7.dial de Trin quod Ioh, c.1.v.13. Credentes dicuntur ex DEO nati, & c.3.v.6. Quod natum est, ex SPIRITU SANCTO est. II. Cuicunq; essentialia Dei attributa tribuuntur, verè & essentialiter Deus est. Nam, ut diximus, attributa essentialia Dei cum essentia realiter unum sunt. At Spiritui S tribuuntur essentialia Dei attributa, sic omniscientia: Ubi sufficere nobis potest testimonium Apostoli 1.Cor.2.v.10. Nam quod nonnulli nõ rectè hinc cõcludi volunt, vim vocabuli ἐρευνᾷ urgẽtes: qui scrutatur ajunt, is desideriũ quidẽ cognitionis habere, eâ autem adhuc destitui videtur apud Epiphan. lib. 2 tom:1 instantiâ ab exemplo Dei, cui scriptura opus scrutandi sæpius tribuit ut Psal:7.v.10 1.Paral 29.9.Ierem.17.v.10. retundi potest. Sic & alia, ut immensitas Psal.139.v.7 Rom 8.v.9. bonitas Psal.143.v.11. omnipotentia Esa: 40.v.14.1,Cor. 12.v.11. veracitas Ioan:15.v.26. III. Idem è divinis colligitur operibus: Ubi in præsentiâ sufficiat syllogismus: Ex quo omnis nostra sufficientia, is Deus est, 2.Cor: 3.v.5. At omnis nostra sufficientia est ex Spir. S.1.Cor:12.v.11. Deus ergo. IV. Et divino cultu. Nam in ejus nomen tingimur Matt:28 v.10 ejus verbũ ceu Dei audimus Apoc.22.v.2. per eum juramus Rom:9.v.1. eum adoramus Esa:6.v.3. Act:13.v.2. V. Tum & hunc damus Syllogismum: Si propter inhabitantem Spiritum S. dicimur templa Dei, sequitur Spiritum sanctum esse Deum. Quis negabit? Adi Augustinum de verit. Relig. c.55. At propter inhabitantem Spiritum sanctum dicimur templa Dei 1,Cor:3.v.16,17.c.6.v.19.20. Ergo. VI. Idem probãt Patres, Origen: homil:11. in Num. Dydim: Alexandr. l.2. de S.S. Basil: Magn: in Apol. ad Cæsar. Chrysost: homil: aliquot de Spiritu S. Ambr: lib. trib. de S.S Cyrill. Hierosol: Catech.4. Novellos autem Arianos in Transylvania sic refutamus hypothesibus propriis: Cui tribuuntur quæ propriè pertinent ad divinam essentiam, Deus est. Sic Racovienses in Catech: cap. 6. At Spiritui S. tribuuntur, quæ propriè ad divinam pertinent essentiam. Iidem Racovienses ibid. Ergò verè Deus est.

Sed nullibi est vocab. ἐρευνᾶν

## V.

Cum Spiritus sancti proprietas personalis sit ἐκπόρευσις: Quæritur, An Spiritus sanctus à SOLO PATRE procedat, an verò etiam à Filio? Occasionem controversiæ dedêre Nestoriani, ut colligi potest ex Anathematismo nono Ephesini concilii adi Cyrill: tom:4.p.207. quorum errorem Græci absurdis (neq; tamen adeo absonis, ut de iis Molther: delirat in disp: Marp: de DEO) aliis additis introduxerunt. Græci licet concedant Spiritum S. procedere à Patre per Filium, à Patre tamẽ & à

Filio

Filio neutiquam. id enim est, quod pernegant. Arguimus contrà I. Si Spiritus sanctus ideò nominatur Spiritus oris Dei Patris Psal: 33. §. 6. quia ceu spiraculum, indissolubilis æterni Patris ex ore essentiæ ejus procedit, etiam ejusdem processionis respectu Spiritus sanctus nominatur spiritus oris Christi Esa: 11. §. 4. 2. Thessal. 2. §. 8. Quia unus, non duplex spiritus. At prius. Ergò. II. Persona divina non mittitur nisi à personâ, à quâ producta. § Augustl: l. 2. de Trin: c. 5. At Spiritus S. mittitur à Filio Ioan: 15. §. 26. c. 20. §. 22. Ergo. Et quæ tandem aliàs caussa dari posset, propter quam Filius jus habere posit mittendi Spiritũ S. nisi quod ab ipso æquè ac à Patre procedit? Anne ὁμοουσία? At & sic Spiritus S. posset mittere Patrem, quod ἀθεόλογον. Et quæ demum alia? III. Cujus in Deitate personæ Spiritus S. dicitur esse spiritus, ab eâdem procedit. At Spiritus S non modò Patris, sed & Filii dicitur spiritus Gal. 4 §. 6. Rom: 8. §. 9. Philip: 1. §. 19 1. Pet: 1. §. 11. Ergo. IV Sic argumentamur: Pater communicat Filio omnia, in quibus ei non opponitur. Quorsum scripturæ dicta referas, quæ Filij esse dicũt, quæ Patris. At nõ opponitur ei, quâ spirat spiritum S, sed tantum quâ gignit Filium. Ergò spirandi ista vis utriq; communis est. Quas rationes Thomas habet p. 1. q. 36. art: 2. consultò præterimus, confutatas habes eas dẽ ab Ockamo & Biele super 1. sent: dist: 11. q. 1. Lombardum cum suis hypothesibus hìc si sequare, non te expedies. quin hypostaticam nobam quandã unionẽ introduxeris. V. Accedit etiam Latinorum Patrum consensus perpetuus, cui non obstat, quod D. Augustl: disputat lib. 5. de Trin: c. 17 § 27. Spiritum S. procedere à patre principaliter, quandoquidem, vel seipso interprete, nil aliud dicere voluit, quàm quod Pater spirandi potestatem habeat à semetipso, Filius autem per ineffablem à Patre generationem. Elegans est istud Albin: l 2. de Trin. c. 9. Totus de Patre procedit, & totus de Filio: totus in Patre manet, & totus in Filio: Quia sic procedit ut maneat: & sic manet ut procedat. Et Græcos adducere possumas, quorum dicta comportata sunt etiamà Cardinale Bessarina vel Bessarione (ut vocitatur aliis) sessione 8. Florentini cõcilij opusc: 1. contra error: Græcor: c. 32. Lombardi 1. sen. dist. 11. 11. præsertim aureũ notandũ ducimus D. Chrysost. de exposs: Symb: tom: 5. p. 750. & generaliustotius Ephesini concilii nomine apud Cyrill. epist. 10. tom: 3. p. 23.

## VI.

Addi possunt hisce pulchra ex antiquitate erudita axiomata, quæ variis lucem adferre solent maximam: inprimis a. videndum, ut servemus hìc ὑποτυπώσιν ὑγιαινόντων λόγων, à qua vel nonnulli ex antiquioribus deviarunt aliquando, Poëtæ præcipuè: sic Picus Miran. de Deo: Verè unũ in triplici Numine nùmen habet, sic Mantuanus: Unum tria numina numen, sic Sedulius: Una manens Deitatis forma perennis, Quod simplex triplicat, quodq; est triplicabile simplex. Quis ferat hodiè in Ecclesia sic loquentes: Patrem esse (respectu Filii puta) κατ' ἐξοχὴν Deum, quæ phrasis Zanchii est in præf. de tribus Eloh. & l. 1. c. 3. Sohn: tom. 2. in A. C. p. 123. ipsius q. Calvini l. 1. inst. c. 13 f. 23. Quis sic? Patrem, F. & Sp. S. tres esse causas socias, συνάιτιους nostræ salutis, tres esse justificãtes, quæ emblemata sunt Bucani in inst: loco 273. loco 30. p. 291. Piscatoris, Keckermanni, & M: Goclenii? Quis Metaphoricũ Ioh: Moltheri in Academia Marpurg: Patrem, Filium & Spiritum sanctum? Quis

realem

vealem inter essentiam & proprietatem personalem in qualibet persona differentiã Gersoniſtarũ? Quibus formulis negatur vel una & indivisa triũ personarũ essentia, quæ unitas eminet super omnes, sive sit collectiva, sive constitutiva, sive conjugativa, sive nativa, sive potestativa, sive consentanea, sive votiva, sive dignativa, prout definit & explicat eas D. Bernh. l. 5. de consid. ad Eugen: p. 1048. vel negatur totã divinam essentiam totaliter esse in Patre, totã totaliter in Filio, totã totaliter in Spir. S. vel negatur ipsa personarũ piè recepta περιχώρησις, qua personæ sunt in invicẽ, ut D. Augustin. ait l. 6. de Trin: & singula in singulis, & omnia in singulis & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unũ omnia. Vel quaternitas introducitur, & tandem quæ non absurda? Quorũ fontem & originẽ cognoscemus ex argumentis contrariis in ipsa ζυγοστάσει. Adscribam tantũ locũ ex Rabano, qui hæreses præcipuas circa hunc de Deo Trino articulũ sic voluit breviter & eleganter complecti. Nihil creatũ aut serviens in Trinitate credẽdũ, ut vult Dionysius fons Ary: nihil inæquale, ut Eunomius: nihil gratiâ æquale, ut Aëtius: nihil anterius posteriusve, aut minus, ut Arius: nihil extraneum aut officiale alteri, ut Macedõ. nihil surreptione aut persuasione insertũ, ut Manich.: nihil corporeum, ut Melito & Tertull.: nihil corporaliter effigiatum, aut anthropoforme, ut Vadianus: nihil sib. invisibile, ut Origenes: nihil creaturis visibile, ut Fortunat. 9: nihil motibus vel voluntate diversum, ut Marcion: nihil Trinitatis essentiâ ad creaturarũ naturam deductũ, ut Plato & Tertull: nihil officio singulare, nec alteri communicabile, ut Orig. nihil confusum, ut Sabellius. sed totum perfectum, quia totum ex uno: & unũ, non tamen solitariũ, sicut Silianus & Praxeas: ὁμοούσιον ergo in divinitate Patri Filius, ὁμοούσιον Patri & Filio Spiritus S. è lib. 4 de serm prop c. 10.

## VII.

Quid circa hæc molitur M. Joh. Lampadius? Ægrè feret, quando Lampadianis hypothesibus Antitrinitariorum errorem reduci ex nobis audiet. Adsumimus hîc verba quæ habet in censur. ae attributis Dei inseparabilibus, indissolubili nexu propter absolutã Dei simplicitatẽ coharẽtibus, & conferimus, quæ habet p. 33. num. 12. è quibus pullulat propositio: Quæ sunt reverâ unũ, quæ non differunt realiter, eorum cõmunicato uno communicatur alterum, juxta Joh. Lampad. sunt Hypostasis & essentia Dei Patris, non differunt realiter etiam juxta Lampadium, & verè quidem. Ergo communicatâ essentiâ Dei Patris Filio cõmunicabatur hypostasis, Ergo & Spiritui S. Ergo Pater & Filius, Pater & Sp. S. habebunt eandem planè hypostasin, Ergo una Filius & Spiritus S cum Patre persona. Non ergo personarum Trinitas. Quid ergo aliud facis Lampadi, quàm quod Antitrinitarios veteres & novellos non stupidos cõtra nos armas? Fingamus autem credere te personarũ in una divina essentia Trinitatem. Non tamen ceu debebas, sed Trinitatẽ tibi quanda, vel è Pistatore, vel è Goclenio fingis pingis. Ubi n. synechdoche ibi vel pars est vel species. Reboca tibi in memoriam quæ in scholâ docuisti alios. Atqui Deus pro Filio Dei (a deo g. & Spiritu S.) est tibi synechdoche Sic enim disertè ais censur. p. 93. & addis quidem hoc nõ esse absurdũ. Ergo Filius (& Spir. S.) Trinitatis vel pars vel species, Si pars, Trinitas erit quid multum, etiam si species. Id quicquid dixeris in Trinitate erit aliquid prius, aliquid posterius, quæ absurditate ingenitâ se refutant. Anne vero Deus Lampadianis adsertionibus, non autem suis æstimandus est vocibus,

# DE CHRISTO.

## QUi est VERBUM CARO FACTUM Iohan. I. v. 14.

### *Quæritur*

### *I.*

An Verè & Essentialiter Deus sit? *Qui negabant primitivæ Ecclesiæ tempore, non unius fuere generis. Quidam Christum* vel ψιλὸν ἄνθρωπον, *quidam* θεῖον ἄνθρωπον, *vel Patri* ἀνόμοιον, *quidam* κατὰ φύσιν, ὁσίαν, θέλησιν ὅμοιον ὅσιον, *non tamen* ὁμόουσιον *adserebant, quidam* ἀποίησιν *ejus ab humanæ naturæ ortu, ideam ab æterno constituebant Adi Tripart. hist. l. 2. ab init ad c. 26. l. 5. c. 13. 19. 32. 33. 39. 42. Theodor. l. 1. c. 14. Euseb. l. 3. c. 27. l. 4. c. 14. l 5. c. 28. l. 6. c. 16. l. 7. c. 33. Iren. l. 1. c. 24. Epiphan. l. 1. tom 2. Athanas. cont. Arian. Hilar. ad Const. August. Ambros. l. 2. de fid. August. de hæres. c. 44. 45. 47. de Symbol. ad Catechum. Vincent. Lyrinens. cont. hæres. c. 6. Qui nunc, nec hi unius generis: apertè cum Judæis, Michaël Servetus Hispanus & hunc sequuti. Adamus Goslavus à Bebelno, Christianus Francken, Christophorus Osterodus, Ditrichus Dorschius, Faustus Socinus, Franciscus Davidis, Georgius Blandrata, Georgius Enjedinus, Johannes Sommerus, Lelius Socinus, Matthias Glirius, Nathaneël Ælianus, Prosper Dysidæus, Racovienses C. in primis Valentinus Schmaltzius: tectè Calvin. de quib. diss. seq. Priorem Classem qui occupant, non se Arianos, sed Photinianos adpellant. Vide Osterod.* Unterrichtung *p. 12. edit Krakovian. 604. Quasi verò Photiniani non sint Ariani! Quin si Vincentio Lyrinensi, Nicephoro Socrate & Sozomeno credimus Arianicæ impietatis pestilens Virus, Photinus non modò fovit sed & auxit. Nos pro Verâ Christi Deitate sic argumentamur. I. Cui nomen Jehovah vel Dei absolutè & simpliciter attribuitur, is verè & Essentialiter Deus est. Propositionis robur monstratum disput. superiore. Ar nomen Jehovæ vel Dei sic tribuitur Christo. Quem Israëlitæ in deserto tentarunt, nominatur Iehovah Num. 14. v. 21. At Christum in deserto tentarunt 1. Cor. 10. v. 9. Ergo. Confer Ies. 40. v. 3 cum Matth. 3. v. 3. Ioel 2. v. 28. Act. 2. v. 17. Ioel 2. v. 32. Rom. 10. v. 13. Zach. 12. v. 10. Johan. 19. v. 37. &c. quæ locorum collatio apprimè utilis est. In N. Test. exempla habes Ioh. 20. v. 28. Act. 20. v. 28. 1. Tim. 3. v. 16.*

3. §. 16. Confer Apocal. 1. §. 1. cum cap. 22. §. 6. 16. Sic dicitur Christus Deus super omnia benedictus Rom. 9. §. 5. Deus Magnus Tit. 2. §. 13. Deus Verus 1. Ioh. 5. §. 20. ad quæ Castiani notam notamus è lib. de Incarnat: Quando Paulus dicit, Christum esse Deum, hoc sufficit Christianis: quando verò addit, Esse Deum super omnia, eò omnem blasphemiam perfidæ adsertionis excludit. Referas huc quoties Christo Κυρίῳ nomẽ tribuitur, tribuitur a. æpissimè: quod nomini Dei æquipollere docet ipsa horum vocabulorum conjunctio Deut. 6. §. 4. 5. Iesa. 42. §. 5. Ioh. 20. §. 28. & Apostoli Paragraphus 1. Cor. 8. §. 6. in quo si Dei & Domini vocabulum opponere novelli Ariani velint, sequitur absurdissimum, Patrem esse Deum sed non rerum omnium Dominum, quod tamen exsibilant ipsimet II. Cui Essentialia Dei attributa tribuuntur, vere & Essentialiter Deus est V. disp. super. At Essentialia Dei attributa tribuuntur Christo: Et in specie quidem æternitas contra quam præcipuè tela jaciũt novelli. Ut maxime Hebræã vocũ unâ non dari cõcesseris quæ accuratè, perfectè juxta & clarè Christum omnis initij & finis expertem esse notet, æternitati tamen adstruendæ sufficiunt loca: Psal. 2. §. 7. Esa. 9. §. 6. Mich. 5. §. 2 Proverb. 8. §. 22. Col. 1. §. 15. 1 Ioh. 1 §. 2. Ioh. 8. §. 58. & clarissimè Ioh. 1. §. 1. seqq. ad quæ verba Hieronymus eleganter: Verba substantia de Deo dicta non significant motus temporales, sed Exponi possunt: Est, quod nunquam deest: Erit, quod nunquam deerit Erat, quod nunquam deerat: Fuit, quod nunquam defuit. Syllogismus idem concludit: Si Deus ab æterno fuit Pater, ab æterno etiam habebit Filium. Relatorum naturâ. At Deus ab æterno fuit Pater, aut si non, nunquam fuit quod ἄλογον: scriptum autem: Ego Jehova Dominus & non mutor Mal. 3. §. 6. Ergo. Et Omnipotentia: Nam quæcunq; facit Pater ea & similiter Filius ex Ioan. 5. §. 19 At Pater facit omnia ut Omnipotens, adversarijs fatentibus. Et Filius Ergo. Hinc Filius dicitur Virtus Dei 1. Cor. 1. §. 24. Luc. 1 §. 35. El Gibbor Esa. 9. §. 6. Dominus omnipotens Apocal. 1. §. 8. Et Omniscientia Matth. 9. §. 4. 12 25. Ioh. 2. §. 24 25. c. 16. §. 30 c. 21. §. 17. Et Omnipraesentia Matt. 18. §. 20. c. 28. §. 20. Marc. 16 §. 20. Eph. 1. §. 23. c. 4. §. 10. III. Idemq; ex operibus solis Deo propriis, Christo autem tributis colligitur: Opere Creationis Esa. 44. §. 24. Ioh. 1 §. 3. Col. 1. §. 16. Es. 45. §. 7. Conservationis Eb. 1. §. 3. Col. 1. §. 17. Cordium scrutationis Mar. 2. §. 6. 7. 8. Ioan 2. 26. Apoc. 2. §. 23 Vivificationis Ioh. 5. §. 2. c 6 §. 39. & seqq Salvationis Mat. 1. §. 31. miraculosæ operationis Mat. 9. §. 25. & c. IV. Et divino cultu. Jubemur Christo ceu Domino nostro servire Ps 72. §. 11. in eum credere Psal 2. §. 12. Ioh. 14. §. 1. sperare Matt. 12. §. 21. Col. 1. §. 27. 1. Thess. 1. §. 3. eum celebrare Ps. 72. §. 15. 17. tum & cum triumphante Ecclesia Apoc. 5. hic in militante eum adorare Psal. 22. §. 28. 45. §. 12 72. §. 11. 15. Act. 22. §. 16. 1. Cor. 1. §. 2. Philip. 2 §. 10. De qua adoratione excutiunt planè Arianè novelli. Franciscus Davidis libros edidit de non invocando Christo satis acerbos: mitiores, Faustus Socinus contendens Christum invocatum fuisse & meritò invocari posse, non tamen nos ut id faciamus teneri aliquo præcepto: Gregorius Blandrata autem Christum invocari debere scribit. V. In quo omnis plenitudo Deitatis corporaliter inhabitat Deus est At in Christo. Col 2. §. 9. dicitur Omnis plenitudo (πᾶν τὸ πλήρωμα) Deitatis habitare (nomen ibi est non θεότης sed θεό-

της

ens observandum) non apparenter sed secundum substantiam (σωματικῶς corporaliter) Ergo. VI. Si Filius non est verus Deus, neq; Spiritus S. verus erit Deus. Nam ut disp. super. aiximus Spiritus S. procedit à Filio. At posterius absurdum esse Ibid. à nobis demonstratum. Ergo. VII. A nomine Jehovah, Dei, è Sacris Scripturis probationum classem incæpimus, in nomine Unigeniti Filij Dei finiemus hoc modò: Cui tribuitur nomen unigeniti Dei Filij ille verè & Essentialiter Deus est. Non fas est Dei Filium degenerem suspicari, sed æqualis fateri necesse est altitudinis & ejusdem penitus dignitatis: nam & filios principium principes, & filios Regum Reges esse quis nesciat? ait D. Bernhardus Sermon. 1. de advent. Conf. Epiphan. hæres. 69. contrà Ariomanit. At Christo istud nomen tribuitur Matt. 16. 16. Ioh. 1 & 18. idq; non gratiâ & adoptione ut delirat Enjedinus p. 204. sed origine, non nuncupatione sed veritate, non creatione sed Nativitate, dicente Hilario lib. 6 de Trinitate. Nã Pater genuit Filium ex se (cogitatione, dicit Phil. Melanthon, respiciens ad vocabulũ λόγος nõ satis cõmodè ut rectè notarũt D. Flacius Illyricus, Johannes VVigandus) cõmunicando totam suã Essentiam. Nam quod Bellarminus 2. Cont. general. contra D. Lutherum & socios disputat Essentiam non generare in divinis Essentiam si non Joachimum Abbatem Florentinum quem C firmiter de Trin. damnatum legimus consulere velit, refutatum se agnoscat à Lombardo l. 1. sent dist. 5. c. 5. & seqq. Thomã, Ockamo, Richardo de nova villa, & eleganter disserit contra Lutherus tom. 1. Jenens. p. 539. thes. 15. Et verè. Nam si Essentia divina neq; generat neq; generatur, ista Essentia quæ neq; generat neq; generatur, est aliquid diversi ab Essentia Patris generantis, & Filij generati. At hoc absurdum, tàm quam personarum in Deitate quaternitas. Essent n. ita tres personæ prima gignens altera genita, tertia procedẽs. tum deinde Essentia divina neq; generãs neq; generata. IIX Quandoquidem Ariani in præfat. Catech. Racovien. p. 2. doctrinam de vera Deitate Filij ab Antichristo Romano in Ecclesiam invectam inculcant, Consensum Doctorum primitivæ Ecclesiæ adnotasse consultum est, eorum præsertim, qui ante concilium Nicænum vixêre. Athanasius allegat Dionysium Alexandrinum & Romanum, Nicetas Gregorium Miristeum adde Ignat. in Epist. ad Antiochen Clement. Roman. 8. Const. c. 16. Iustin in Expos. fid Irenæ l. 3. adv. hæres. c. 6 Cyprian. l. 2. cont. Iul c. 5. Tertull. l. 4. cont. Marcion. & adverſ. Praxeam. Digna est historia, quæ ex eruditâ antiquitate huc repetatur: Cum Amphilochius à Theodosio petijsset, ut Arianos ex urbibus ejiceret, & Imperator id sine periculo fieri non posse diceret; quodam tempore cum alijs Episcopis in Regiam venit, ut Arcadio Filio Imp. recens Imperatori designato gratularetur. Reliqui Episcopi Imperatori primò, deinde & Filio Arcadio gratulantur. Solus Amphilochius Theodosium salutat, neglecto Filio; quod cum Theodosius oblivione eum facere arbitraretur, monuit eum ut Filium quoq; salutaret: Respondet Amphilochius: Satis esse quod honorem habuisset ei tanquam Patri. Theodosius indignatus, expelli eum jussit: Tum Amphilochius: Siccine Imperator graviter fers contemptum Filij tui? Revoca tibi in mentem quæso, odisse & Deum eos qui per blasphemiam honoris aliquid adimunt unigenito suo Filio. Quam senis Episcopi prudentiam miratus Imperator edicto curabat, ut ex urbibus Ariani, qui Christum verum Deum esse negabant

bant, ejicerentur. Vide Theodoret. l. 5. c. 16. Ipsorummet Arianorum scripta fac consulas, videbis anguillâ in istis eos Lubriciores. Franciscus Davidis Exemplo sit qui videri vult se cum socijs non negare Christi Deitatem: sic enim disp. 3. Albanâ: Testatum omnibus esse volumus nos utrum Christus sit Deus nunquam dubitasse, vel de æterna ejus divinitate litigasse, Item: Sicut rivus non aliam habet aquã, quàm quæ fonte effluit: Sic eadem est divinitas Patris quæ communicatur Filio: Ergo Filius non est alius Deus. Item simili sensu disp. 5. Albana, qui tamen in eadem disputatione & eodem die sibimet contradicebat. Argumentum è proprijs novellorum hypothesibus extructum hoc esto: Qui potentiam habet divinam is verè Deus est. Sic Racovienses, p. 39. At potentiam Christus habet divinam, habet divinum dominium. Ita etiã aperte ijdem argumentis nostratiũ pressi dicunt: Connexionem & unionem Christi esse cum uno illo Deo in dominio, in potentiâ & officio pag. 148. Ergo verè Deus est.

His præsuppositis patet melius quid Jesuvitæ circa quæstionem, An Filius sit αὐτούσιος καὶ αὐτόθεος respondendum sit; quem si attentè legeris habebis sibiipsi conttadicentem l. 2. de Christ. c. 19. Græci solum Patrem αὐτόθεον καὶ αὐτούσιον dicebant, idq; inde, quia Pater ἀγένητος, à se ipso non per generationem vel spirationem habens Deitatem. Calvinus l. 1. Inst. c. 13. s. 25. & hunc sequutus Bucanus loco de Deo p. 6. ita Conciliant: Filium esse à seipso quatenus est Deus: à Patre quatenus Filius, quibus Heidelbergenses contradicunt, & rectè. Nam & Prov. 8 v. 24. habetur Sapientia genita, & in Nicæno Symbolo: Filius à Patre genitus, Deus de Deo, Lumen de Lumine. Sic statuendum: Essentia consideratur dupliciter, aut quoad se aut quoad sui communicationem: quoad se non habet principium, quoad sui communicationem, principium habet à Patre in Filio, cui est à Patre communicata.

## II.

AN SIMILITER VERE HOMO? An Filius Dei humanã natuã nostræ per omnia consubstantialem, & excepto peccato similem adsumpsit? Divi Hilârij ἀκυρολογίας lib 10 de Trin. non urgemus, sed illorũ blasphemias inprimis repudiamus, qui Christo Phantasticum & putativũ corpus adscripserũt, quo nõ revera, sed tantum κατὰ φαντασίαν καὶ δόκησιν passus sit, vel non passus quando Simon Cyrenæus crucem Christi portans transformatus sit in speciem Christi, atq; pro eo invisibiliter stante Christo ex opposito & deridente crucifixus, vel animã Christo denegarunt, attamen λόγον animæ loco fingentes: huc namq; collimant Arianorũ, Eutychianorũ, Marcionitarũ, Manichæorũ, Apollonaristarum apud Ignatiũ & Epiphanium, Anabaptistarum item & Schwenckfeldianorũ in scriptis & Colloquiis varijs somnia. Pontificij Christo non tam corpus quam Monstrum corpòris adscribunt: Colligo id è Bellarmino, qui Christum suis pedibus maximam cæli partem occupare scribit l. 3 c. 12. de Christo, quo quidem pacto pedes Christi majores erunt ipso terræ globo, cum terra ad cœlum extimum instar puncti sit, quid nunc de integro fiet corpore? quæ ejus erit servatâ proportione vastitas? Anne monstrosa? Quâ ratione veram

Christi

Christi humanitatem Flacius tueri velit non videmus, qui Christum habuisse garrit corpus seu naturam humanã alterius speciei quam sit nostrã, adeoq; aliam veritatem corporis Christi esse quàm sit nostrorũ corporum. Pro humanitatis in Christo assertione sufficiunt ista: quod Messias semen vocatur Mulieris Gen. 3. v. 11. Abrahæ c. 17. v. 18. Isaaci c. 26. v. 4. Iacobi c. 28. v. 14. Davidis 2. Sam. 7 v. 12. Germen Davidis Ier. 23 v. 5. fructus ventris Davidis Ps. 132. v. 11. virga stirpis Iessæ & floridæ radicibus ejus Es. 11. v. 1. & disertè homo, Filius hominis Psal. 8. v. 5. Dan. 7. v. 13. constans corpore Gen. 3. v. 15. Es 7. v. 14. Luc. 1. v. 31. 35. Rom. 8. v. 3. Col. 1. v. 22. & animâ Matt 26. v. 38. Ioh. 10. v. 17. quem etiamnum comitentur humanæ proprietates Luc 24. v. 39. & aliquando Exinanitionis tempore humanæ infirmitates Matt. 4. v. 2. c. 11. v. 19. Luc. 2. v. 40. 52. Ioh. 4. v. 6. excepto peccato Eb. 4. v. 15. 2. Cor. 5. v. 21. 1. Pet. 2. v. 22. II. Contrà Flacium tota Orthodoxa antiquitas confitetur Christum quoad humanitatem nobis esse ὁμοούσιον. v. Athanas. Dial. de Trin. 5. Symb. Chalcedonens. Esse fratrem nostrũ è Ps. 22. v. 23. quod nõ esset, si corpus & animam alterius speciei haberet, si aliam quam cognatam nobis carnem, ut Basilius loquitur Concion. de Sanct. Nativit. Christ. Deus adeptus esset. Sunt qui Sanctitatem humanæ in Christo naturæ tollere ejus cum nostrâ ὁμοουσίαν existimant. Quæro, anne Essentialis ista? ut humana natura Essentialiter justa sit? At sic esset ipsa justitia, ipsa sanctitas, seu essentialiter Deus. Absonum. Accidentalis autem? Quid ergo de nobis fiet in resurrectione ubi sancti erimus? anne eandem quam quidem habemus naturæ humanæ essentiam retenturi? Retenturi omnino Iob. 19. v. 25. 26. 27. De veritate duplici quæ objiciuntur, siculæ gerræ sunt. Unius rei non sunt plures neq; diversæ veritates, sed una tantum, uno & eodem respectu: Iam hic non agitur de diverso respectu sed de eodem, substantiæ nempe veritate. Quod si igitur alia dicetur veritas corporis Christi quam sit nostrorum corporum, aut corporis Christi aut nostrorum corporum, non erit certa veritas. Duas enim diversas veritates esse unius rei, nemo sanus unquam asseveraverit: aut si adfirmaverit stoli dè, nunquàm probaverit. Consule D. Heshusium in propos. anno 1588. excusis. III. Patrum testimonia hic obvia cuilibet eorum volumina inspicienti. Eleganter Leo: Non posse quenquam eo capite gloriari, in quo asserit naturam suam non haberi Epist 11. nec inelegantius iste quem suprà per ἀκυρολόγως loqui dicebamus: Nescit planè nescit vitam suam, qui Christum ut verum Deum ita verum hominem ignorat l. 9. de Trinitate.

## III.

Anne Christus, quem Deum & hominem jam diximus, seu Messias in carne exhibitus sit? Nondum exhibitum contra Messilianos, ut quidem Christianos indigitant moderni Judæi, sed flaccidè sed ineptè tuentur, & vel Messiam dupliccem sperant, alterum humilem, alterum glorioſum, vel ut Christi visibili modo inter homines circumobambulantis tempore alij Matth. 20. v. 22. Actor. 1. v. 6. sic & isti talem fingunt, qui Majestate suâ in adventus Exordio, nullâ humiliatione præcedente omnibus mundi regnis temporaliter dominetur, Judæorum libertatem à gentibus asserturus. Anne ita est? Is solus & verus & Messias, in quem omnia

omnia Prophetarum de Messia vaticinia concurrunt, cui soli convenit quicquid de Messia prædictum est in Mose Psalmis & Prophetis. Firmitas fidei in eo est, quia omnia quæ evenerunt prædicta sunt ait Augustinus. At in Jesum Mariæ Virginis Filium, Deum & Hominem, concurrunt omnia ista Prophetarum vaticinia, & huic soli convenit quicquid de Messia prædictum est in Mose Psalmis & Prophetis. Ergo. Omnia attingendi quando locus hic non est, sufficiat argumentum à tempore desumptum: Postquam enim venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum factum ex muliere factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij redimeret, ut adoptione Filiorum jus reciperemus Gal. 4. v. 5. Ista temporis plenitudo quod accurate sit exacta vaticinius monstratur in præsens Patriarchæ Jacobi Gen. 49. v. 10. & Dan. 9. v. 24. Hagg. 2. v. 7. Mal. 3. v. 1 c. 5. 5. quæ impleta esse adunguem in disputat. actu quærenti demonstrabimus. Accedit quod tempus destinatu effluxisse ne ipsimet Judæi inficiari possint, quare conscientiâ cauteriatâ procrastinationem Messiæ ita palliunt, ac si propter peccata populi adventum differret? At v. ad populi peccata delenda venisse debebat. Neq; n. ut Salomonis posteritati regnū promissum & terram Chanaan Israëlitis sub obedientiæ conditione legimus Conf. 1. Chron. 23. v. 24. c. 28. v. 7. sic sub eâdem conditione Messiam. Ista conditio non modo tacetur Psal. 89. v. 29. 30 31. 132. v. 11. Jerem 33. v. 20 sed insuper quoties videri potuit Deum hujus promissionis quasi pœnituisse eandem Prophetæ repetebant. Item q; Esa. 55. v. 33. Promissiones Messiæ promissiones dicuntur Domini fideles. Vide & Psal. 110. v. 4. Ezech. 16. v. 16. 61. 62 & Oseam c. 11. v. 1. Animadvertunt hoc Judæi plerique, & ideo Messiam venisse, sub Herode natum fatentur, occultari verò ajunt propter peccata populi idq; vel in Zion cum Angelis; vel ultrà montes Caspios, vel per orbem & urbem mendicare, proditurum se cum Deo visum fuerit. Hæc ipsa occasio temporis fecit ut multi Messiā se esse fuerint professi ut Theudas & Judas Galilæus Act. c 5. v 36 37. Jos. Benzara, Barcobbas v. Gers. Galat. Joseph. lib. 2. antiq. c. 3. Successu vano. Quid dicam de ANNO POENITENTIÆ quo in Austria R. Lemle Prophetavit, ut Zemach David testatur? Neq; Levidense veritatis CHRISTIANÆ testimonium est, quod rei evidentiâ convicti Judæorum multi Messiam nostrum agnoverunt & coluerunt, de quibus videas Iosephum lib. 18. c. 4.

## IV.

Plura circa unionem divinæ & humanæ in Christo naturæ moveri assolent, quandoquidem veterum errorum errores subinde mutatis, nominibus in Ecclesiam Dei inducuntur Videbimus hac de re disp. sequenti ubi Calvinianorum de Christo sententiam examinabimus, quæ cū nostri seculi Pontificiorū & priſci, Nestorianorū Eutychianorū aliorū q; hæreticorū sententys ferè coincidit Pontificij tamē alibi alia super alia evomūt. Videbimus mēbratim adsignando quædā: Errores dico Roberti Bellarmini præcipuos quos quidē inculcat quinq; libris controversia secunda generali, de Christo totius Ecclesiæ capite. In præfatione de duplici genere hostium Divinitatis Christi declamat à p. 329 ad 359 & quidem posteriori in classe collocat etiam Orthodoxos Lutheranos, è quorum Scholis Servetum dicit prodisse: mendacio

eraßisi-

crassissimo. Nam Hispanus hic fuit & non in Lutheranis sed Pontificiorum Scholis Parisiis in Gallia edoctus, tum in Africam profectus Sarracenicæ linguæ cognoscendæ ergo, ne in Alcorano intelligendo hæreret, tandem ad Gallos rediit & publicitus Ariana semina sparsit. Genevæ tandem exustus est anno 1555. Lutherum ait Ario, Nestorio, Eutycheti plurimum favisse non probat: nec meliori loco vult esse Lutheranos Brentium, Iacobum Andreæ passim, quærere possit cur non adscripserit hisce Papam Opt. Max. Iohannem XXII. quem cum Arianis Trinitatem abnegasse testatur Aventinus lib. 7. de rebus Bohemicis: cur non Ioachimum Abbatem cum discipulis, cur non Giff Ordum, cur non seipsum. Nam quæ in Brentio damnaceu Nestoriana lib. 3. c. 1. idem Bellarminus defendit ceu Papistica c. 6. & 8. quæ in Chemnitio ceu Eutychiana lib. 3. c. 1. ea idem defendit ceu Catholica. c. 16. Ipsum Erasmū Arianis favere fatetur, qui non tā Lutheranus quam Papicola fuit, cujus versionem N. T. Leo Papa ejus nominis decimus commendavit. Sed & Arianismi Nestorianismi, Eutychianismi convinci possunt hi ipsdem quib Calv. argumentis de quib. disp. seq. ubi hæc volente Dn. excutiemus. Unum quæram è Roberto: Scribunt & eo ipse Robertus haud obscurè adludit, Martinū Lutherum professione & habitu Monachū, ordinatione Sacerdotem, novum quoddam & compendiosum iter in cœlum à se reperta docuisse, nova dogmata mundo proposuisse, novam fidem atq; religionem excogitasse, ab orbe condito nulli vel auditam vel usurpatam. Vide Coster. in Enchid. quomodo dic sodes hæc conveniunt, novam nos fovere fidem, religionem, ab orbe condito nulli vel auditam vel usurpatam: Et tamen nos Arrij, Nestorij, Sabellii, Eutychetis, Blandratæ, &c. errores errare? Concilia. Ut prætereamus nuncalia quæ in præfatione conviciatur, quo documento, quo Exemplo probabit, quod effudit: Lutheranos ferro & igni prosequi Tritheitas? Papisticum & Calvinisticum sit hoc, Lutheranum neutiquam. Instituti ratio non patitur ut deducamus horrendas Bellarmini dissensiones à seipso & complicibus. Alia minutiora errata prætermimus, nolumus eidem adscribere. Editia Græca edit in fol. ubi lib 2. cap. 5. legitur τείας pro τειὰς cap. 19. αὐτοαλήθεια pro αὐτοαλήθεια, vel αὐτοαλήθεια & quæ plū, quando ista Typographorū incuria accidere posse similibus hic aliquando experimur. Plæraq; etiam alio pertinent, & quæ horsum, mutatis personis Calvinistas habebimus ea propalantes disp. sequenti. Hoc tamen videtur inprimis excutiendum. An Christus secundum utram, an vero secundum alterutram naturam Mediator noster dicendus sit? Quæ Osiander hic evomuit deiis nō laboramus. Bellarm. Stancari, juxta Dn. Philippum Stencari dixerit) Mantuani errorem, ut maxime videri nolit reducit: Christum nempe Mediatorē esse tantùm secundum naturam humanā. Atq; hunc recentiores Photiniani sequuntur. Nos quibus Christus & medius est & medians: medius persona medians officio, istis hæc opponimus I. diserta Sacræ Scripturæ effata Esa. 35. v. 4. Os. 13. v. 7. Act. 20 v. 28. Rom. 5. v. 10. 1. Thess. 1 v. 7. II. Incarnationis finē. Quo pacto Incarnationis finis consisteret, qui est, Filium Dei in hoc apparuisse, ut dissolveret opera Diaboli Ioh. 3. v. 8. quod si nudus homo efficere potuit quid opus erat ut incarnaretur Dei Filius? Certè quod quidam è Scholasticis disputant: Ut maximè homo non peccasset, nihilominus Dei Filium fuisse incarnandum & ex ys Bucanus Calvinista repesit in locis p. 61. ubi eo usq; progreditur, ut & Angelos

media-

mediatore opus habuisse scribat, nullo scripturæ nititur fundamento. III. Quia opera mediatoris sunt θεανδρικὰ seu divina & humana simul v. August. lib. 10. Confess. c. 42. & lib. deovib. c. 12. IV. Christus secundum ordinem Melchisedech Sacerdos esse debuit ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, quod huc vel maximè facit. Scimus quidem multa deblacterare adversariũ Bell. de Principio quo & quod: Principium quod operabatur, ait, non fuit Deus solum vel homo solum sed utrumq; simul, hoc est, verbum incarnatum: Principium quo illa opera à Mediatore fiebant, fuit natura humana, non divina. Apte! Ijsdem namq; difficultatibus premitur quibus alij Stencariani. Et quid, si vel nec quâ Principium QUOD Christum secundum naturam divinam esse Mediatorem juxta Bellarm. demonstremus? Ecce verba ex cap. 5. lib. ult. de incarnat. §. 4. hæc: Si Christus esset ALIQVO (NB) modo Mediator secundum naturam divinam, omnes tres personæ essent Mediatores. Demonstravimus. Et quid si è Bellarmini hypothesibus Christum ne quidem esse secundum humanam naturam Mediatorem monstremus? Argumentum Bellarmini est: Mediator debet esse medius, id est distans ab utraq; parte. Christus ut Deus non distat à Deo, Ergo ut Deus non est mediator. Pariter: Mediator debet esse medius, id est distans ab utraq; pane. Christus ut homo non distat ab hominibus. Ergo ut homo non est mediator. Demonstravimus. Anne tertia in Christo natura nunc superest? Quid Ergo cum ista distinctione inter Principium QUOD & quo Bellarmini sensu usurpatâ? Exemplo ejus futilitatem sic declaramus: Finge enim detineri à Turcico Tyranno Christianos captivos sat multos, hic si Princeps aliquis pro ijs λύτρον se soluturum promiserit non sufficit ista Principis dignitas λύτρον respiciens, ut eâ de caussâ Turcicus iste Tyrannus captivos istos demittat, sed ipsa actualis & λύτρου solutio exigitur. Sic & hic habe: ad λύτρον pro multis, quid? pluribus, quid? plurimis quid? infinitis humani generis peccatis solvendum non sufficiebat ista Christi dignitas quod Deus est, (quorsum Bellarm. cum suo Principio Quod respicit) sed exigebatur ut λύτρον ipsum solveretur & ideoin ipsum λύτρον virtus à divinirate influeret. Augustinus eleganter: Divinitas sine humanirate non est mediatrix: humanitas sine divinitate non est mediatrix: sed inter divinitatem solam & humanitatem solam mediatrix est humana Divinitas & divina humanitas v. 9. de civit. Dei cap. 15. homil. deovibus cap. 12. Pleniorem nostram de Christi persona Coufessionem habebimus disp. seq.

## V.

M. Johannes Lampadius qui circa Christi personam aberret monstravimus alibi, monstraturi plenius si aliquod ad hanc iste dederit responsum, nisi planè elumbe istud sit, solidum autem habebimus 32. Decemb. Tantum abest ut de Christo is rectè sentiat, ut potius Antichristos inter numerari possit de quibus 1 Ioh. 4. v. 3. Facilis est collectio: Qui negat omnipræsentiã carnis simpliciter, solvit Iesum, hoc est Antichristus est 1. Ioh. 4. v. 3. At Lampadius negat omnipræsentiam carnis. Ergo solvit Jesum, Ergo LAMPADIUS ANTICHRISTUS EST.

# DE CREATIONE.

## QUæ est Entis á DEO ELOHIM ex nihilo constitutio Gen. 1. v. 1. Esa. 41. v. 24.

### Quæritur

### I.

An mundus sit ab æterno? *Hic enim Philosophi Ethnici, etiam isti qui non ita à Patriâ ut quidem jactitabant, quàm à Professione MUNDANI dicebantur, nimium quantum debiant! Aristoteles 8 Topic. PROBLEMA vult esse dialecticum dogma de æternitate mundi, pro affirmativâ autem concludit 8. Phys. 1. de cœl. & l. 12. Met. quem frustrà excusatum eunt fratres ex Hispaniâ. Plato conditum quidem inculcat, sed è materiâ æternâ idq; ante infinitas myriades annorum, insistens per omnia vestigijs Hippocratis, si rectè consideraveris ea quæ habet in lib. de carnibus. Nec Platonem deseruêre assectæ. Proclus apud Philoponum. Averroës lib. 8. Phys. 1. de cœl. Sic Marcionitæ vel Materiarij apud Tertull. l. 5. adverf. Hermog. Manichæi apud Nyssen. lib. de opific. hom. c. 23. August. hæres. 46. Seleucus & Hermias apud August. hæres. 59 aliiq; qui anno Christi 1017. fuere in Gallijs. Varias significationes vocabuli Bara de quibus R. David Kimichi sive ad actionem sive passionem distinctè, neq; enim creator & creatura sunt relata mutua, referantur, ut dicamus prolixius, cum quo sensu nos id usurpemus hoc loco constet, è desin. non necesse est Mundi æternitatem oppugnamus I scripturæ dictis expressis Gen. 1. v. 1. Prov. 8. v. 22. Sap. 11 v. 18. Eph. 3. v. 9. Col. 1. v 15. Eb. 11. v. 3. II. rationibus. Mundi namq; cum partes sint duplices quædam sublunares, quædam sublimares, nec hæ nec istæ dici possunt esse ab æterno. De utrisq; probatur. Quia mutationibus istæ partes sunt sunt obnoxiæ. Sublunares namq; servantur multitudine singularium ordine succedentium, adeoq; corruptioni expositæ indies. Nullum autem corruptibile subsistere potest nisi per tempus finitum: rursus è finitis numero & magnitudine constat nisi finitum, tempus autem ab æterno veniens, si modo tempus, fuisset infinitum. Sublimares moventur successivis semper circuitionibus. Adjectione circuitionum constat eorum numerus: finitæ Ergo. Si numerus est, non potest esse non numerabilis per par aut impar atq; adeo finitæ ibi partes, nõ infinitæ quia numerus sit adjectione unitatis major: infinito autem nil majus. Si non infinitæ, Ergo nec æternæ deducta vide hæc apud Valk de S. P. Nostro instituto convenientius est ut sis*



*proce-*

procedamus: Quicquid interitui est obnoxium id non est sine principio, non ab æterno. Neq; negat Aristoteles. At mundus est interitui obnoxius. quod (& hoc quidem loco) probamus è testimonijs clarissimis Matt. 5. v. 18. c. 24. v. 35. 1 Cor. 7. v. 31. 2 Pet. 3. v. 10. 1 Joh. 2. v. 17. Et quî negares? Propinquum potius ultimum diem esse signa docent eaq; quæ sunt Supra nos; in Sole, Luna, Stellis Luc. 21. v. 25. Apocal. 6. v. 12. quæ sunt Intra nos animorum angor, corporum languor Luc. 21. v. 26. quæ sunt Circa nos; Evangelium prædicabitur in toto mundo Matt. 24. v. 12. Securitas regnabit & omne genus vitij Matt. 24. v 12. 2 Pet. 3. v. 3. erunt hæretici multi Matt. 24. v. 24 bella v. 6 pestis v. 7. dilectio extinguetur v 12. quæ sunt Infra nos; aquarum eluviones, terræ motus Luc. 21. v. 25. Quin etiam si cœlum (mundus) non præteribit sed durabit in æternum, nec homo semel mortuus, resurget. Qui sic? Verba Iobi id testantur: Homo cum dormierit non resurget donec prætereat cœlum cap. 14. v. 12. At posterius absurdum. Ergo. Quem quidem interitum putamus fore secundum substantiam, contra Lombardum l. 4. dist. 48. Conimbric. l. 1. de cœl c. 14. q. 1. Goclen. in Phys. p. 93. Timpl. 1. Φ. p 58. & Calvinianos plæros q, quod ut putemus ipsa verborum Emphasis, Perire, Interire, Abire, fugere, non existere Ps. 102. v. 25. 26. Matt. 24. v. 35. Luc. 21. v. 33. 2 Pet. 3. v. 10. Apoc. 21. v. 1. jubet. Nec offendimur quod vocabulo Mutandi utatur Scriptura, qui Mutari aliquando Sacrâ Phrasi idem esse quod interire & prorsus tolli novimus ut Dan. 4. v. 22. Septem tempora mutabuntur super te, id est transibunt. Sic in Cantic, c. 2. v. 11. Esa. 2. v. 18. Anne verò mundum vis dicere Conditum ad imaginem Dei, quod præclarum Elogium Scriptura tribuit homini? Nam ἀφθαρσίαν καὶ ἀθανασίαν partem esse imaginis divinæ negari nequit. Tum: Destructo fine etiam destruitur ipsum finitum. Finis mundi destruetur Esa. 65. v. 17. c. 66. v. 22. 2 Pet. 3. v. 13. Apoc. 21. v. 1. Ergo ipsum finitum. mundus scil. Ergo non manebit æternum. Ergo nec fuit ab æterno. Ergo nec æternus. Neq; etiam, cum creaturam dixerimus, ab æterno esse potuit. Ut merito miremur Jesuitas, Conimbicenses dico, B. Petrum Franc. Suarez. scripsisse creaturam posse esse ab æterno. Sum primo vocem Creaturæ & sic argues: Id quod esse non potest nisi post non esse, non potest esse ab æterno. Quod enim ab æterno semper habet esse nunquam non esse. At nulla creatura esse potest, nisi post non esse. Creari enim est ex nihilo produci. E. Sequeretur quoq; quando quid creatur habere simul esse & nõ esse, & rem simul ac fieret esse factam. Sume & secũdo vocẽ æternitatis. Æternitas est duratio permanens sine principio, hoc est, duratio infinita. At nulla creatura potest habere talem durationem, quia non potest habere essentiam infinitam, neq; durationem quæ permaneat semper eadem, quæ nullã mutationem admittat. Non Ergo potest esse æterna. Creatus Ergo mundus, idq; à Deo. Est n. Solius Dei opus proprium creatio Ps. 95. v. 5. 6. Esa. 45. v. 67. Jer. 10. v. 12. Heb. 3. v. 4. quod sic scitè expressit Athanasius: administrare Creaturarum & servorum est, Condere autem & creare solius Dei ejusq; verbi & substantiæ Sermon. 3. cont. Arian. de quibus paulò post. Id quod contra Simonẽ Magũ notandum, qui ab Angelis non à Deo mundum dicebat conditũ Angelos autem istos ex Selene quadam esse prognatos apud Iren. l. 1. c. 20. 21. contrà Saturninũ qui mundum à septem Angelis factum dicebat absq; Dei Patris Consensu. Tertull. de præscript. quib. adfines alij apud Augustinum hæres. 31. Sed ut plenius

de

& Creatione differamus, quum conbenientior nulla detur, sequamur Methodum Mosaicam expressam in Genes. Cap. 1. idq; ita ut ad sex dierum classes quæsita referamus.

## II.

Sequamur Ergo ductum Moſis, quo non abducimur. Piaculum ſit libro iſti Apocrypho credere de quo Turribius Aſturicenſis Epiſcopus ad Idonicum & Ceponium ſcribit, ſe librum vidiſſe cui titulus: MEMORIA APOSTOLORUM in quo ceu falſa ea quæ Moſes de Creatione ſcripſit rejiciantur. Et ſequamur Moſis ductum quâ die ſex ſingulo. Ubi non movemur ſi quis è Philone lib. de Allegar. legis Moſaicæ, Procopio Gazæ in Geneſ. Cajetan. comm. ſup. 1. cap. Gen. objiciat Ruſticanæ eſſe ſimplicitatis Exiſtimare mundum decurſu & morâ ſex dierum eſſe conditum, ſed totum eum uno temporis puncto creatum, Moſen autem in deſcribendo mundi opificio ſex dierum diſtinctione uſum eſſe docendi gratia, ob eorum Judæorum puta, quibus ſcribebat tarditatem juxta & ruditatem, dixerit. Sententia quidem eſt quæ alicubi aſſeclam habet D. Auguſtinum, & in eandem inclinantem Thomam q. 4 de poten. Dei art. 2. & in 1. part. quæſt. 74. art. 2. & non neminẽ è recentioribus. Quibus opponimus I, ipſam narrationem Moſaicam elarã c. 1. Gen. II. Textũ è Moſe in Exod. c. 20. v. 11. tum III. hoc argumentum: Diſtinctio ſex dierum à Moſe tradita denotat aut ordinem naturæ, aut ordinem dignitatis, aut ordinem cognitionis, aut ordinem temporis. Sic enim enumerant Theologi & Philoſophi. Non ordinem naturæ quem creaturæ inter ſe habent, quia ſic Solis aſtrorũq; creatio prius veniſſet enarranda quam ſtirpium quia illa natura priora ſunt tanquam ſtirpium cauſſæ: nec ordinem dignitatis rerum conditarum, ſic enim hominis creatio præcederet quæ demum ſequitur loco ultimo. Nec ordinem cognitionis idq; ſive Deum ſive homines reſpicias, quod in confeſſo. Relinquitur Ergo quod ordinem denotet temporis. Philoſophicas ſcio Scholaſticos multa pro contraria ſententia adducere rationes ſed quid præter rationes? Opponunt quidem aliàs dictũ Eccleſiaſt. 18. v. 1. ubi urgent vocabulum ſimul. Sed minus commode cum vox ſimul notet ibi non συγχρονίαν ſed operum Dei συλλογὴν, & à verbo non creavit, ſed nomine omnia, dependeat opponunt ſecundo ex Moſ. c. 2. v. 4. quibus reſpondemus Diem ibi collectivè, pro diebus diſtributivè uſurpari idq; ex hac maximè notandâ maximâ: In Hebræâ linguâ hoc familiare eſt, ut ſingularia pro pluralibus, ſpecies nominentur pro individuis. Quid ergo de hoc ſextitudo & Quid de opere primi Dici è Moſe habendum? Diſceptationes variæ, neq; eadem per omnia hic Orthodoxorum (ſalvâ tamen fidei unitate) ſententia. Hanc conſidimus eſſe veritorem quâ opus primi diei in membra dividitur quatuor. I. Producitur moles iſta quæ cæleſtium & Elementarium corporum fuit materia. II. Vegetantur aquæ Spiritu Domini. III. Creatione lucis, tenebræ diſcutiuntur. IV. tenebræ à luce diſtinguuntur, & vices ſtatæ dierum & noctium ſtatuuntur. Videamus è Moſe: Ait. IN PRINCIPIO Heb. Bereſchith quæ vox aliquando denotat primitias ut Levit. 23. v. 10. quod notamus contrà Bonavent. Sunt Hebræi qui Exiſtimant literam Beth redundare. Quibus quis crederet? Quis primam totius ſcripturæ literam poſitam redundanter dicere præſumeret?

ret? Objectant: At Exemplum est Prob. 8. v. 22. Inconveniens: nam in Proverb. de æternitate sermo est, de quâ Mosen loqui ne ipse Hebræus quidem dixerit. Quare quid istud sit: in Principio, disquirunt. Sententiæ variæ sunt: Basilius septem, Ambrosius decem numerat. Frequentius prisci per Principium intelligebant Christum, conferentes cum hoc loco locũ Ioh. 1. v. 1. Sed id historia Mosis non patitur, tum incidunt in absurdum, quod sic monstro: Sic Eadem est locutio Gen. 1. v. 1. & Ioh. 1. v. 1. & per principium Christus intelligitur, dicendum est Filium Dei fuisse in. Filio Dei iuxt. Ioh. Evolve modò quæ sunt apud Iohann. At posterius ita intellectũ nõ sapit τὸ τύπῳ σὺν ὑγιαινόντων λόγων. Ergo. Philo Judæus ait, & rectè, intelligi debere principium numeri & ordinis, cujus sententiã quicquid, Paræo videatur, sic retinemus ut dicamus intelligi & unâ principium temporis. Et hæc verborum Mosis interpretatio est simplicissima. Brevibus, prolixis Scholasticorum quæsitis satisfieri potest, quibus quærunt, an Deus in tempore an cum tempore mundum creare cæperit? Rectè cum Augustino respondetur quod cum tempore, ita ut cum mundo tempus cæperit. Demonstramus Syllogismo: Principium temporis non est ipsum tempus, ut punctum lineæ non est linea sed principium lineæ, unitas non est numerus (strictè dicendo) sed principium numeri. At mundus Creari cæpit in principio temporis. Ergo non in ipso tempore. Satisfit simul alteri, An tempus fuerit ante quartum Creationis diem? Adfirm. contra aliquos novellos Calvinianos Vilasophos hac ratione: quia tres dies antecessere diem quartum. In contrarium objectiones simul omnes quas hactenus produxere hac distinctione tollimus: Tempus aliud est Mathematicum & respectivum quod motu stellarum mensuratur aliud Physicum seu absolutum quod est Entis creati duratio finita: Nos autem de hoc non illo loquimur. Quærunt alij Mundus an verno an æstivo an autumnali tempore condi cæperit? Tu potius ab ijsdem quæsteris, cum ijdem per ver, æstatem & autumnum tempus intelligant motu Solis Lunæ aliarumq; stellarum definitum, & verò quarto die tandem stellas esse creatas fateantur qui nunc cum tribus prioribus diebus nec ver nec Autumnus, nec æstas fuerit, quâ mundus in aliqua ista parte creari unquam potuerit? Quid respondebunt? Si tamen de creatione rerum omnium quæsieris, dicimus Autumnum fuisse initium & quidem mensis Octobris diem vicesimum quintum idq; moti I. annorum Sabbaticorum, ratione II. textu Mosaico Exod. 23. v. 16. c. 34. 20. 22. III. testimonio Paraphrastis Chaldæi quod quidem in supputatione temporum omnibus hucusq; fuit longè maximum super 1. lib. Regum Cap. 8. vers. 2. Et hoc: An numerus annorum à condito mundo in hodiernum usq; diem certus ità sit ut de eo certò pronunciari possit. Quæstio est quam è minus dextrè intellecto loco Ecclesiast. 1. v. 2. nonnulli negant, & plurimos videas dubitantes. Quæ tamen valdè necessaria, id quod Theologi in explanandis difficilibus scripturæ locis experiuntur, & multum ad illustrationem divinæ providentiæ facit. Sixtus Senensis lib. 5. Bibliothec. Sanctæ pænè triginta numerat supputationes ab ortu mundi ad adventum Salvatoris, etiam potuisset quinquaginta, vel sexaginta. Unde tanta sit varietas quærenti dicemus in disp. D. V. rationes etiam daturi quibus malo isti possit iri obviam. Ab initio mundi ad hunc diem usq; numeramus annos 5559 completos, quam supputationem petenti declaraturi sumus ad oculum. Sequitur. CREAVIT 70. legunt ἐποίησεν; minus rectè.

Creando

creando a. creans nõ ab otio ad negotium non à potentiâ ad actum, sed ipse potius mũdus è potentiâ negativâ in actum quodammodo exijt. Creavit autem è nihilo, hoc namq; præsenti loco significat verbum Bara. Quod contra Philosophos vetustiores observandum quorum errorem in Ecclesiam introducebant Manichæi in Gallia præsertim, anno Christi 1017. vid. sup. & innovavit eundem Paracelsus cum MAGNO suo MYSTERIO quem Medicus Heidelbergensis Thomas Erastus ivit refutatum. Et si Deus è materia creasset præjacente ista vel increata fuisset vel creata. Non increata, quia sic Deus. Si creata aut ex nihilo aut ex alia materia, Si ex nihilo, evicimus. Si ex materia alia, & hæc rursus ex alia, progressus datur in infinitum, quod absit. Notandum autem meritò quod dicitur hic CREAVIT non creabat. Plinius in præf. oper. veteres pictores & artifices opera absolutissima licet fierint, & maximè admiranda, pendenti titulo inscripsisse ait: Appelles (vel alius) Faciebat non autem FECIT indicantes opera inchoata tantum vel imperfecta esse quibus aliquid ab ipsis adhuc omnino addi posit. Hic autem legimus creavit. Nam & nostro & ipsius Dei judicio perfectissè & omnibus numeris absolutissime omnia sunt creata. CREAVIT DEUS. Deus Pater 1 Cor. 8. v. 6. per Filium Joh. 1 v. 3. in Spiritu Sancto Psal. 33. v. 6. creavit omnia. in Hebræo pluralis numerus est Elohim qui cum verbo singulari Bara conjungitur quasi diceres Creavit Dij. Id quare fiat acriter disceptant interpretes. Judæi duas fovent opiniones aut enim Angelos hic notari ajunt, qui in creatione Deo fuerint adjuncti ceu administrantes. Quibus opponimus I. quod ipse Moses undecies cap. sequenti hunc Elohim vocat Jehovah II dictum Esa. 44. v. 24. aut honoris causâ de Deo id dici arbitrantur quibus considerandum relinquimus, quàm stultæ sint affaniæ dicere Deum æmulari magnatum vanitatem, quũ se unum esse potius contra Deastros Ethnicos glorietur? Mysterium Trinitatis insinuari quicquid Calvino, Pareo, Thomæ Cajetano, Sixto Senensi, Benedicto Pererio visum sit dicimus cum Luthero nostro, adsentientibus è Pontificiis Burgensi, Galatino, Catharino & Ambrosio Compseno è Calvinianis. Pellicano & H. Zancho. Idq; non modo ex ipsa conjunctione numeri singularis & pluralis sed & sequentib in Mose, quibus & Filius & Sp. Sanctus exprimitur colligimus. De Spiritu Sancto mox videbimus etiã de Filio colligimus, quem denotari per verbum quo in creando Deus usus est, contra Bezam & M. Illyricum defendimus. Quorsum pertinet collatio locorum similium Psal. 33. v. 6. Syrach c. 24. v. 5. Joh. 1. v. 3. Col. 1. v. 26. Heb. 1. v. 2. annotabimus etiam Syllogismum: Quod per Dei Sapientiam. scientiam, prudentiam, apud Salomonem, cujus meminit Prov. 3 v. 18 & c. 10 v. 22. intelligitur idem etiam per verbũ apud Mosen. Qui sic? Quia eadem effecta tribuit Moses verbo quæ Salomon Sapientiæ & c. modo eodẽ. At per istam intelligitur secunda divinitatis persona ut ex allegatis locis patet & ipsi adversarij tantũ abest ut negent, ut potius urgeant. E. Sequitur: COELUM & TERRAM. Non potest dici quomodo hic desudent interpretes. Nobiliores sententiæ quinq; sunt, istorum nobis placet qui primam istam molem intelligunt quæ cœlestium & Elementariũ corporum sit materia utpote quæ ad historicã explicationem est convenientior. Unde quæstio ista de qua Philosophorum Scholæ personant decidi potest: At sit superiorum cœlestium & inferiorum terrestrium corporum eadem materia? Contra Peripatum adfirmamus è verbis Mosaicis

quæ

quin & è hypothesib. advers. proprijs extructum Syllogismum opponimus: Quæ unum sunt genere ea quoq; unum materia. Sic Peripati Magister in 5. Metaph. At corpora cœlestia & inferiora sunt unum genere, Quia Corpora. Ergo & unum materia. De terræ attributis videatur textus. quæstiones delibamus: Anper Spiritum hoc loco tertia Trinitatis persona intelligatur? Dicimus id contra nonnullos quorum sententiam defendendam suscepit Andreas Libavius Medicus in Hexëam, Pag. 15. Et quid intelligeretur aliàs? Ais è Tertulliano & Theodoreto, ventum. at unde ventus in ista confusa mole? Audiamus etiam subtilitatem Enjedini. Hic Spiritum hunc Deum non esse colligit quia dicatur Spiritus Dei non autem DEUS. Quid audio? Siccine Filius non est homo quia dicitur Filius hominis? Absurdum. Quæritur etiam, Lux primo die creata fueritne substantia an accidens? Hæc enim quæstio ob Bellarminianas rationes in loco de Cœnâ notanda est. Bellarminus inde inhærentiam in subjecto ad accidentis essentiam non pertinere adserit cum Basilius scribat lucem Solis creatam primâ die mansisse absq; vehiculo tribus diebus, sunt itidem ex Orthodoxis qui negant esse accidens: Nobis istorum, quæ & Divi Lutheri magis arridet sententia lucẽ hanc esse accidens & lucidi corporis qualitatẽ, quod corpus erat cœlum aquis immersum unde & lux Exilior fit utpote non ex aquarum nebulis educta, nec in unam cœli partem (quam jam Solem esse credimus) collecta, Sed per totum hæmisphærium cœlestis machinæ sparsim diffusa. Calvinista Danæus circa opera primi diei multa habet absurda inprimis hocce quod mundum ait conditum in spacio vacuo, Tohu, seu locũ in quo conditus mundus ante creationem fuisse vacuum, post creationem plenum. Opponimus vacuo Danæi & qui illum sequũtur hocce: Locus iste de quo ipsis sermo, aut increatus fuit aut creatus. Non creatus quia sic aliquid creatum prius fuisset genere creaturarum quod absonum. Si increatus Deus erit. Et si locus Physicus ut ajunt quomodo absq; locato? Tandem dicitur, quod factus sit Dies unus. Unus dicit Moses non primus, in quo multi nescio quæ quærunt mysteria sed præter rem, nam hic usitatus est Hebraismus ut utantur sæpe cardinalibus pro ordinalibus. Exempla vide Gen. 8. v. 5. Daniel, 8. v. 1. Marc. 16. v. 2.

# III.

Secundo quid de opere Dici secundi? Creata est eo die expansio sivè Firmamentum & distinctæ aquæ supernæ ab inferioribus. Solum aërem per Firmamentum intelligunt Calvinus, Marloratus, Barrhajus, Tilenus: Quibus opponitur quod die quarto in firmamento sidera collocentur, quæ non in aëre sed in concamerato cœli fornice cernuntur. II. Quod Moses distinguit Rakia & Schamaim, illud æthereum corpus complectitur, hoc aërum, unde volucres dicuntur volare in Schamaim & sub Rakia non in Rakia. Inprimis hic de aquis supercœlestibus disputatur an sint supra Firmamentum? Origenes & Hugo allegoricè & Ethicè interpretantur per aquas transcælestes beatitudinis æternæ contemplationem, per inferiores terrenam conversationem, per Firmamentum integerrimum hominem renovatum intelligentes, quibus quando Mosen non allegoriam sed historiam scripsisse novimus, non adsentimur. A-

quas

quas autem esse supra firmamentum, Judæorum commentum vocat Paræus, nec melius Calvinus. Nos cum Ambrosio l. 2. hexaëm c. 3. (ut & alijs) aquas supra firmamentum esse credimus, moti non ista quidem ratione, quam Ambrosius urget quia sc. Sol quandoq; madidus appareat propter aquarum nutrimentum; sed verbis Scripturæ ut hoc loco sic & Psal. 104. v. 3. Dan. 3. v. 60. De Cœlo repetantur huc quæ diximus disp. de Christ. Calvinistic. Summatim nostram de opere diei secundi sententiam sic explicamus: Die secundo Deus quasi in manus sumit aquositatem rudem & tenebrosam, quæ prius nihil erat, nisi res fluida & vaga, eamq; solidam & firmam efficit, ita ut firmamentum hoc solidamq; compagem inter duas aquas collocet. Nam ante circa terram erant meræ aquæ, jam in medias immittit manum & separat eas in duas partes, unam servans sursum, alteram deorsum. In medium ponit sphæram quam cœlum vocamus appellatq; firmamentum, quia non temerè agitatur ut aër, nec fluitat inconstanter ut aquæ, sed stat firmiter. Priusquam antem ita concinnaretur, etiam incerto vagabatur: Datq; ei Deus proprium nomen cœlum. Fuerat & primo die cœlum, sed nomen nondum habebat certum, quia nondum erat perfectum & stabilitum seu confirmatum, ut sic posset appellari. Vide Luther. in 5. tom. Jenens. commet. in Genesin. Sed quare operi secundæ diei non addit Moses approbationem divinam, quæ reliquis diebus additur, ut dicat hoc modo: Et vidit Deus Expansionem quod esset bona. Judæi ideo ajunt fieri, quia secunda die Gehenna sit condita. Alij alias sed adsimiles adferũt rationes qui refutãtur Exinde, quod Epilogus iste; vidit Deus omnia quæ fecerat & erant valde bona etiam ad hunc diẽ pertineat. Quanquam sint qui de hoc non esse dicunt sollicite cogitandum, sic tamen sentimus: Cum in historia diei tertij his approbativa sententia legatur, scribarũ incuriâ sententiam eam trajectam posse esse è die secundo ad tertium in quo habetur bis. Quod si ne hoc quidem, respondemq; data omissionis sententiæ istius probabili hac ratione: Quia aquis adhuc terræ incubantibus & nondum in locum suum ordinatis opus distinctionis aquarum affectum potius quam perfectum videbatur.

## IV.

Quid de opere Diei Tertij? Hoc die terra quæ tota adhuc aquis immersa & tecta fuit in apertam producitur lucem, exiccatur ut generationi rerum, habitationi & animantium usibus inservire possit, denicq; omni herbarum fruticum arborumq; genere exornatur. Hic duo quæruntur præcipuè. I. Quomodo in unum locum congregatæ aquæ constituerint mare relicta terrâ arida? Basilius primum omnem aquam quæ erat in terra sive exterius dixeris sive interius, penitus à terra vult esse segregatam. Quod, si de humore aqueo intelligit ei non adsentimur, nam absq; eo terra cõsistere non potest. Breviter loquitur Moses de quacunq; aquarũ collectione, id quod Hebræa veritas innuit, quæ non tantum significat aquarum molem, sed & alveum vel fundum quo continentur aquæ; adeo ut textus hic in genere de maris & fluminibus veniat intelligendus. II. Mare an sit fluviorum penu vel receptaculum è quo fluvij dimanent, è quo effluant & in quem vicissim refluant an v. fluvij ceu meteora è vaporibus terræ generentur? Posterius ait Aristoteles rectius tamen eo sentit Præceptor

Plato

Plato. Aristot elem inprimis & omnium flagitiosissimè defendit Cardanus, cui opponi meus expressum dictum ex Cap. 1. Ecclesiast. v. 7. quod pijs sufficit. Quærimus a: Si maximè detur posse ex aëreo vapore aquam generari, possitne ista materia esse prepetua, & in prægrandi semper copia, qualis in magnis fluvijs requiritur: Et cum partes aëris subtiliorisnempe Elementi plurimæ ad exiguam aquæ molem generandam exigantur, ubi tantæ specuum subterraneorum vastitas quâ aër iste contineatur? Per quos poros tanta copia terram subeat?

## V.

Quid de opere diei Quarti? Dies hic natalis est Luminariũ cœlestium, quod contra Catharinũ Eugubinũ notandũ, qui astra ante hunc 4. diem dixit creata. Opus in quo divinæ sapiẽtiæ vestigia dicũt Patres maxima, unde & Poëta Christianus: E. H. Esse Deum quicunq; negat mox sidera spectet, sidera qui spectat, jurat is esse Deum. Cum Luminaria à Deo creentur non sunt numina aut Dii ut Plato in Timæo putabat, & alij astricolæ v. 2. Paral. 33. v. 3. Jerem. 44. v. 17. Interpretes quærunt cur Deus dicat sint Luminaria in firmamento: non vero producat firmamentũ Luminaria, ceu quidem dixerat sup. Producat terra herbam. Et hic desudant, causâ nullâ, nam quid si Deo tantum ita libuisset? Ii autem videntur dicere maximè consentanea, qui reddunt rationem hanc, terram non semel debuisse producere stirpes istas sed novas subinde germinare, Cœlo autem nõ subinde nova sidera producenda fuisse sed semel condita sustinenda. Quæ in textu hoc Mosaico sunt, possunt ad IV. revocari. I. Quæ corporum istorũ natura sit. II. quæ species. II. qui finis IV. quæ quantitas. V. Quis locus vel situs. Quâ primum: Luminaria (ea autem non allegorica) dicuntur, quo vocabulo officium etiam simul innuitur. De horũ materia disceptabant Chaldæi & Magi qui naturam siderum dicebant igneam. Aristotelicim densiore, sui orbis partem, orbes autem volunt (falsissimè) Essentiæ quintæ. Vid. Laert in princip. Plin. l. 2. c. 21. Plut. l. 2. de Pl. Phl. c. 13 Senec. in quæst. nat. l. 7. c. 1. Arist. l. 2. de cœl. c. 7. scripturæ ductu ejusdem cum cœlo esse naturæ adfirmamus unde Christus & Petrus cœlum & stellas ceu ejusdem essentiæ conjungunt & eodem modo dissolutionem eorum denunciant Matth. 24. v. 29. Luc. 21. v. 25. 2. Pet. 3. v. 10. Quâ secundum: Species expressè non discernuntur nam σωνεκδοχικῶς præcipuæ à Mose numerantur. Ptolomæus stellas errantes numerat 1022. Cabala in Drasch in. Es. 49. 29000. myriadas. Vide de luminaribus Cœli Psal. 147. v. 4. Esa. 45. v. 12. Iob. 38. v. 31. Psal. 8. v. 13. Nec ò probabiliter satis quidam ex Isa. 30 v. 26. Planetarum numemerum colligunt. Quâ tertium: Finis posset recitari multiplex vide. Psal. 89 v. 3. Psal. 104. v. 136. In textu Mosaico præter annotatũ triplex exprimitur usus. I. ut distinguant inter diem & noctem artificialem sc. explicante Luthero. Breviter Creantur non ut diem & noctem efficiant; facta enim jam erant, sed ut diei nocti q; præsint ait Basilius. II. ut sint signa. Variè hoc explicant. Sunt qui hoc de figuris intelligunt, quas quidem sidera nobis exhibent, signa vocant Mathematici, cujusmodi in Zodiaco sunt 12. extra Zodiacum 30. ab Astronomis observata. Quibus non adsentimur: Quia Deus non dicit simpliciter erunt Signa sed sint Signa vel erunt

IN

IN Signa. Explicationem verum collige è locis Ios. 10. v. 12. 1 Reg. 8. v. 43. 2 Reg. 20. v. 11. Psal. 104. v. 19. Matt. 16. v. 3. Luc. 12. v. 54. c. 21. v. 25. Hoc loco contra Astrologos, augures, auruspices, genetheliacos disputandum est qui quærunt: An ex Astris certa de rebus futuris divinatio institui possit, ita quidem ut ex eorum positu vel themate, ut vocant, genethliaco, de hominis ingenio, moribus, studijs, fortunâ, matrimonio, ipsâ etiam morte & mortis tempore judicare possimus? Isti nescio quibus influentiis adfirmant. Contra I. Solius Dei est prævidere futura Esa. 41. v. 22. Amos 3. v. 17. Sic Ier 10. II. Deus istos Astrologos damnat Deus 15. v. 10. 14. Ioh. 8. v. 18. ridet eos, ijs credi prohibet & exitium minatur Ies. 19. v. 3. 12. c. 44. v. 25. inprimis c. 47. v. 13. Ier. 10. v. 2. cap. 27. v. 9. c. 29. v. 8. III. Savonarolam pium Martyrem sequamur ducem, & dicamus ne quidem Dæmones ista scire, multo minus Astrologos. Hinc argumentum: Si ne ipsi quidem Dæmones possunt ex astris futura contingentia prænoscere multo minus Astrologi. Nam quantùm hanc scientiam Dæmones longùm præstant Astrologis. At ne ipsi quidem Dæmones hoc possunt ut ex Esa. loc. all. Constat. Sciunt quidem quandoque futura, sed sciunt in suis causis, quarum sunt investigatores astutissimi aliquo modo existentia. Et prædicunt tùm non ut futura sed ut quodammodo jam existentia. Ergo IV. Si ista ad bonum & malum differentia esset astrorum motui adscribenda sequeretur Deum omnium malorum esse caussam primam, cum à Deo omnis astrorum virtus immediatè proficiscatur. At istud absurdum. Ergo. V. Si astrorum cursus esset vitiorum in homine caussa, fuisset etiam tùm si homo in primævo integritatis statu permansisset, quia & tum ijdem astrorum cursus, ijdem aspectus permansissent. At posterius itidem absurdum, Ergo. VI. Ne Exempla adducam, possem autem magno numero, idem senserunt Ecclesiæ primitivæ Patres & referas hoc loco legem Imperatoriam C. de malefic. & Mathemat. leg 2. & c. Quidã Medico Politicus istos Astrologos quâdã Prognostication hisce verbis eludebat: Ungues & capillos tum demum præcidito, cum oblongiores fuerint: Vestes novas prius non induito quam sint confectæ; principem adito cum sui copiam tibi fecerit, duc uxorem, quæ tibi nubat in Domino venam seca si consulat Medicus, qui in curandis ægrotis non planetas sed plantas inspicit, nec Calendarium, sed Galenum suum consulit. III. Finis est ut sint in tempora dies & annos, R. Onkelos ita expressit: ut numerentur per ea dies & anni Vide & Explicationem ex Ierem. 31. v. 35. Quà quartum. De quantitate prolixius Physici. in textu Mosaico luminarium aliud majus aliud minus dici cum D. Luthero putamus non tam corporis quam lucis ratione, quæ in Sole major, in lunâ minor est. Sed cum duo dicantur luminaria Magna, quæritur an Luna etiam propriũ & congenitum habeat lumen? Negamus I. ex incrementis & decrementis Lunæ juxta accessum ad Solem vel recessum ab eodem II. inprimis Eclipsib. lunaribus: Cum n. globus terræ inter Solem & lunam diametraliter interponitur, & terra radios solares interceptos à lunari corpore avertit obtenebratur luna, quod non fieret si propriũ haberet lumen. At verba Mosis nimis clara sunt dicis! vocat luminare, habebit Ergo proprium lumen, licet id non videamus Respondeo hoc Syllogismo: Moses Lunam luminare vocans de tali lumine loquitur quo præest nocti, quo noctem illuminat, illustrat: At vero istud lumen à Sole habet. Nec est qui hoc negare possit: quo n magis inferior Lunæ pars quæ nos respicit

picit Solis radijs afficitur, eò majus animadvertitur illius incrementum, donec in oppositione tota ab opposito Sole illustrata fiat, plenilunium. Ergo Moses de tali Lumine & nõ alio (nec est ut inter lucẽ & lumẽ distinguas) loquitur. Ergo ex Mosaicis verbis deduci non potest habere Lunam lumen propriũ ut maximè non videamus. Quâ 5. de situ & loco clarissimè textus loquitur, esse Expansum seu regionem ætheream. Quærunt hic quidam Philosophi An cœlo immobili existente moveantur stellæ an vero hæ motu orbium. Et resumpsêre istam quæstionem Theologi. illud docebant græci, hoc quidam Latini præsertim D. August. Sed Philosophorum hæc magis sunt, quærenti tamen in diss. actu distinctè respondeb Ineptissima est Innocentij. III hujus nominis Papæ sententia. qui de duobus Luminarib. in Mose ita interpretatur ut inde Imperatorem (luminare minus) Papæ (luminari majori) subjiciat in decret l. 1. tit. 33. de ma, & obed. c. 6. solitæ. Porro occasione festi trium Regum quod vocant, Quid de stellæ quæ Magis apparuit, Matth. 2. habendum an eâ vera stella disquiremus? Prisci tus multi ut circa Magos sic & circa stellam hanc errabant. Circa istos multifariam: iste error autem tolerari merito non debet quod Magos hos ex Saba venisse dicunt. (Reges ex Saba veniunt) Nam Magi venerunt è regione quæ respectu Judeæ sita est in Oriente. Sic habet textus Matt. 2. At Saba non est sita in Oriente sed in Meridie. Ergo inde nõ venêre. Circa nõ ming: stellã istã naturalẽ fuisse cõtra oõnullos pernegamus. I Quia sic die 4. esset creata & sic fuisset ante istos Magos, & sic miraculi loco illis esse non potuisset, nec iterum evanuisset. II. habuisset motum stellis proprium, Ordinarium. At nec hunc. III non in æthereâ sed in aëreâ regione constitisse. Cometam ergo ajunt nonnulli. Sed ne hoc quidem, quia Cometæ sideris à quo acceduntur cursum sequuntur, hæc nullius stellæ cursum. Rectius Chrysostomus ait fuisse Angelum.

## V I.

Quid de opere diei Quinti? Incipit hic Creatio animalium, & quidem hoc die producuntur pisces & aves. Quærunt cur pisces vocet reptile cum natent non repant? Respondet Isidorus cap. 6. definitione reptilium: Reptilia dicuntur, quæ natant, quæ reptandi habent speciem & naturam, & quamvis se in profundum immergant, tamen innatando repunt. Vide & Bonaventur. in 2. sent. dist. 15. Ex aquâ volucres esse productas textus testatur, centies licet Calviniani contradicant, sed non ex aquâ solâ, sed ex aquâ & terrâ ut constat ex cap. 2. & 19. Cetorum meminit inter pisces præ reliquis ideo, ne cogitaremus immania ista corpora de quorum magnitudine & robore relictis profanis sufficere possunt quæ Iob. habet c. 41 v. 20. esse spectra sed vera Dei opera, ad ipsius magnificentiam contestandam comparata. Hinc & hos univoce respinare è Sacris statuimus: reliquos non item.

## V I I.

Quid de opere diei Sexti? Complet hoc die Deus terram variis animaliũ specieb. & hominem demum condit. De venenatis animantibus hoc loco quæritur. Manichæi serpentes, viperas alias q; noxias creaturas malo adscribebant Deo sed hi refutantur ab Augustino lib. de Genes. cont. Manichæo cap. 6. Sunt qui ut herbas noxias sic venenata animalia demum post lapsum orta fuisse ajunt, unde & Basilius ait ea fuisse ante Adami lapsum sine spinis crevisse. Bona esse condita è Dei ipsius approbatione hoc

sapite

capite Vincimus. Quod post lapsum nocent id peccato tribuas non animantib. Nec tamen usibus destituuntur. Etiam hoc dicere possis, nullam bestiam esse perniciosam adeo, cujus non sit aliqua utilitas in genere humano: sic viperarum venenum ad Theriacæ confectionē adhibetur, quod contra venenū Antidoti loco usurpari & adhiberi consuevit. Creationē mundi concludit Dominus Creatione μικροκόσμου Hominis. Vide Nazanz. Orat. de Theo'. Hæc describitur tribus. I. Deliberatione Trinitatis II. ipso opere III. benedictione hominis & declaratione officij ejus. Vbi notandum primò, in creatione hominis ter repeti verbum Bara ad designandam absq; dubio Trinitatem. Quod ad deliberationem, Est ibi: FACIAMVS HOMINEM. Cur dicat pluraliter. & non singulariter Faciam hominē quæsieris. Iudæi ad honoris causam confugiunt ut superius. Quibus hoc loco respondemus I. istud in Hebræa linguâ non esse usitatum II. plurali numero principes significare se consiliariorum primatum adminiculis quid decerrere quod si ad Deum transtuleris est impium. III. R. Abe-Nezra dicit in tota sacra historia etiam nullum hominem vel Regem ut maximè superbissimum de se pluraliter locutum esse. Nec melius sentit Enjedinus cum socijs. Nos Divinæ in essentiæ unitatē & personarum pluralitatē hinc colligimus. Illud hoc modo: Quorum una est operatio eorum una natura. Ejus qui hic loquitur, & eorum ad quos loquitur, est una operatio hominis Creatio nēpe Ibid. Ergo eorum una natura. Vel: Quorum una est imago eorum est una natura. Ejus qui hic loquitur & eorum ad quos loquitur est una imago: Sunt n. hæc verba: ad imaginem nostram. Hoc: è verbis FACIAMUS, & NOSTRAM, quib. cū non innuatur pluralitas essentiæ relinquitur personarū, adeoq; trium quia plures non sunt nominatæ. Qui a. Consultationem hanc ad Trinitatem non referunt. ijs auctoritate Synodi Sirmiensis dicitur Anathema vide Socrat. l. 2. c. 30. Tripart. l. 5. c. 7. De imagine Dei habebimus disp. seq. II. De Opere dicitur quod crearit Deus hominē Masculum & fœminam de quo est cap. 2 veluti commentarius. Circa quantitatem primi humani corporis diversæ sunt opiniones. Sunt qui volunt Adamum proceritate corporis fuisse Gigantem & omnium Gigantum maximū idq; ex loco cap. 14. Iosuæ male intellecto. Contrà a. ex 6. cap. Genes. constare potest Gigantes ante mortem Adami non extitisse. Staturam ergo ut ipsi perfectam qualis scilicet naturalis hominum acretionis terminus requirit tutius est. Quod animā attinet, fuere dixerunt Deum de suâ substantia animam creasse. Sic Origenes apud Epiphan. lib. 1 tom. 1. hæres 5. sic stoicī vide Lombad. dist. 7. lib. 2. Sic Origenistæ qui eò hallucinantur quod ex locutione Tropicâ quâ κατ ἀνθρωποπάθειαν Deus dicitur inspirare, propriam facit, quâ scriptura nil aliud quam facilitatem creandi demonstrare, & naturam animæ quod non sit è materiâ crassâ sed Spiritus creatus invisibilis & intelligens arguere voluit. Flatus iste quo animatus divina creatione homo, est quidem à Deo sed non ex Deo Nam Deus habet essentiā simplicissimā, quæ in partes non dividitur: Et si anima ex divina esset essentia à sua natura non recederet. Quærunt & hic. Quomodo anima sit tota in corpore toto: Sic statuimus: Sicut Deus unus semper ubiq; totus omnia vivificans, movens, gubernans Act. 17. Sic anima in suo corpore ubiq; tota viget, vivificans illud movens & gubernans. Vide Augustinum lib. de spiritu & anim. c. 35. Luther. de Sacramento. Thom part. 1. dist. 76. art. 8. Arist. l. 1. de anim. c. ult. Sed de his circa hominis creationē quæ sunt quæstionibus quærenti respondebimus, nec huc

nepon

reponi possunt omnia. III. Quod ad benedictionem quæ efficit, ut totus homo generetur totum, neq; partem saltem hominis, corpus absq; rationali anima. Sufficiat in præsens hocce: Deterior non est in homine generandi ratio quam in brutis: vel, Manauerunt a divinũ crescite & multiplicamini non minoris efficaciæ in homine quam in brutis. At in brutis mandatum divinum ita efficax, ut similia sibi procreent bruta non secundum corpus modo sed & secundum animam. Ergo.

## VIII.

De Angelis Creaturis licet Col. 1 v. 16. Ps. 104. v. 4. Moses in Hexaëmero non meminit. Quid causæ? Procul dubio ea, quia visibilium creaturarũ creatione describere instituit. In Compendijs Theologicis ex Athanasio ad quartam quæstion. Antiochij (Athanasium esse ejus verum auctorem non putamus) vel Chrysostomo potius & Theodoreto ad Genes. dicũt plerig; Iudæos ingeniũ ad Idololatriã admodũ habuisse proclive, quare ne occasio istis daretur Angelos adorandi, Mosen Consulto creationem eorũ prætermisisse. Ratio hæc pace istorũ nobis non videtur subsistere. Nã I. Si ea fuisset causa ne quidem Lunæ, Solis, animalium mentio facienda fuisset, siquidem inde Idololatriæ materiam sumpsisse Iudæos sæpius, certum est. II. Judæi Angelorum notitiam habebant è majorum traditionibus, quibus apparuisse acceperant ut Agari Gen 15. v. 21. Abrahamo c. 18. & c. Lotho c. 19. & c. quas apparitiones Moses recenset. & quid? anne idem, mox ut Adam ejectus è Paradiso, scribit in ejus loci custodiam, positum esse Cherubim Gen. 3. anne ibi absq; Idololatriæ periculo Angel. facit mentionem? III. Potius ea de causâ quæ adfertur fuisset consultum ut Angelorum creationẽ Moses expressisset, quò ita Angelos creaturas non Creatores, non Deos esse doceendo, Iudæos ab Idololatriâ vel eo modo abduceret. Quoad ipsum Creationis diem probabilius esse illorum sententiam putamus qui primo eos die dicunt creatos sed non Aug. fundamento. sunt autem Spiritus Ps. 104. v. 4. Quod & ad tempus humanis corporib. induti se conspiciendos præbuêre non propterea corpora sunt, nam sic & Deus esset corporeus qui in forma visibili se hominibus videndum præbuit Gen. 18. v. 2 &c. Quæ de circumscriptione locali & corporeitate Angelorum garrit Goclenius ex alijs, refutari possunt è dictis principijs. de ANGELIS. a. BONIS qui Dei faciunt voluntatem Psal. 103. v. 20. & homines custodiunt Ps. 91. v. 9. in choro Num. 22. v. 22. in foro Iud. 6. v. 11. in thoro Gen. 24. v. 40. in vijs Psal. 91. v. 11. & MALIS non quidem Creatione sed defectione, qui Deo adversantur Luc. 11 v. 23. & hominibus 1. Pet. 5. v. 8. in Choro Exod. 1. v. 2. Luc. 8. in foro 1 Paral. 22. v. 1. in thoro 1 Cor. 7. v. 5. 1 Tim. 5. v. 22. in vijs è 1 Pet. 5. v. 8. prolixius quærere, est dissertationis alterius. Hæc de mundi principio (& fine) sufficiant, quæ dissertatio nostra ut eò sit fructuosior sententiam hanc; si quis statuere velit tempus Ecclesiæ Novi Testamenti, quod anno nativitatis Christi vicesimo nono suum habuit initiũ, demum anno nativitatis ejusdem millesimo sexcentesimo & septuagesimo terminandum; nec esse impiam nec improbabilem è capite 14. Apocalypseos desideranti cum Deo declarabimus.

## IX.

Sed & ne hic indictus abeas M. Lampadi hoc apponimus: Qui quærunt an sit mundus, cœlum, (adeoq; & creatio) ij Iohanni Lampadio non sunt Christiani sed pecora bruta. At ipsi Calviniani (etiam Bremenses) hoc quærunt. Ergo Calviniani (etiam Bremenses) juxta M. Lampad. non sunt Christiani sed Pecora Bruta!

Siccine est?

# DE BAPTISMO.

Qui est Sacramentum Novi Testamenti *Zach. 13. v. 1.* quô homo vivus in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti *Matth. 18. v. 9.* aquâ abluitur, *Eph. 5. v. 26.* ut regeneretur *Tit. 3. v. 5.*

## *Quæritur*
## *I.*

SITNE UNUS SPECIE? *Triplicem statuit Baptismum Athanasius tom. 2 pag. 296. immô Baptismos octo inculcat idem pag. 348. 348. Hinc ista scholasticorum malè applicata est è compend. Theologic. Veritat. lib. 6. cap. 9. distinctio, Baptismum esse triplicem: Fluminis, Flaminis, Sanguinis. Nos ista Patribus ut ἄκυρα relinquimus, hæc autem quâ scholasticorum sensum emasculabimus infrà. Pontificii ita Baptismum duplicant ut Iohannis & Christi Baptismum distinguant, quasi Iohannes Baptismum Christi tantum prænunciarit, quasi Baptismus Iohannis in pœnitentiam, Christi autem in remissionem peccatorum exhibitus sit. Vide Concil. Trident. sess. 8. Can. 1 de Baptism. Lombard. lib. 2. sentent. dist. 2. artic. 4. Salmeronem tom. 4. pag. 19. Barradium pag. 404. Gregor. de Valent. tom. 4. pag. 830. Bellarmin. lib. 1. de Baptismo cap 20. Calviniseque alium faciunt internum, alium externum, externum quem minister aquâ nos abluens peragat: internum quem Christus ipse per Spiritum sanctum & ignem in solis Electis, prout ipsi visum, perficiat: quæ omnia ita explicant, ut duplicem hunc baptismum specie, tempore, efficacia & subjecto velint distinctum. Vide Bezam in colloq. Momp. pag. 453. 470. in 2. part. resp. ad acta colloq. pag 44. 45. 46. Hungaros in panharmonia pag 200. 201. 202. Herbornenses & Heidelbergenses passim qui ducem sequuntur hic Schwenckfeldium Epistolá 74. ad Iohannem Wernerum anno 1541 scriptâ, in tomo centum epistol. pag. 503. Opponimus hisce I. expressum Scripturæ effatum, quod apud Apostolum Eph. 4. 5. Hinc synodus Nycæna in symbolo sic format articulum: Confiteor unum baptisma. Nec est, ut pro Calviniseq uis objiciat Tossanus cum alio anony-*

mo geminum istum baptismum unum nihilominus manere, haud aliter atq; gemina manducatio in S. Cænâ non geminum facit Sacramentum Eucharisticum. Nam geminam à fidelibus in S. Cænâ fieri manducationem oralem & spiritualem non negamus, sed ecce Tossane, ut quater ineptus esset, qui exinde geminum Sacramentum Eucharisticum assereret: ita pariter ineptus, qui vobiscum è gemina unius Baptistici Sacramenti actione geminum vellet statuere baptismum, & quidem specie diversum, temporum interballis interruptum, efficacia & subjecto varium. II. Sic arguimus, Si mors Christi una est quam Baptismus insinuat, etiam Baptismus erit unus. Propositionem hanc Orientales Patres probant è Romanor. 6. v. 3. Col. 2. v. 11. At mors Christi non nisi una est, semel duntaxat peracta: Mors ei non dominatur amplius Roman. 6. v. 9. 10. Ergo & baptismus unus est. III. sed juvat seorsim adoriri adversarios: primùm Pontificios Pharisaizantes, contra quos Baptismum Christi & Iohannis non differre efficiente, non materia, non forma, non fine, sed tantum circumstantiis temporum & personarum. ut Iohannes dicatur baptizasse in passurum, Christus per Apostolos in se passum, Iohannes in resurrecturũ, Christus per Apostolos in se resuscitatum, Iohannes MINISTERIALITER, Christus MAGISTRALITER, tuemur. De efficiente constat è c. Ioan. 1. vers. 6. 33. Matth. 21. vers. 25. Lucæ 20. vers. 2. Vnde errare Robertum colligimus, qui libro 1. de Baptismo non semel adfirmat contrarium; & cap. 20 ritum ait in particulari, quo baptizandum esset Iohanni à Deo non fuisse inspiratum. Cui hosce tres hoc loco opponimus syllogismos: quorum primus è scholâ Stapletoni, II. è scholâ Pighii, III. è scholâ Cãpani, h. e. omnes è scholâ Papali deducẽdo probare possumo. I. Qui Iohannẽ misit ut baptizaret, is etiã baptismi à Iohanne distributi auctor est. At Deus Iohannem misit ut baptizaret Ioa. 1. v. 33. Ergo. II. Si baptismus Iohannis ab ipso Iohanne fuisset institutus, fuisset ab homine. At consequens negat ipse Christus Matt. 21. v. 25. Luc. 20. v. 2. III. Dei consilium non ab homine sed ab ipso Deo est. At baptismus Iohannis fuit Dei consilium Lucæ 7. vers. 30. ubi maturè dispiciat quid etiam respondere velit M. Goclenius è Scaligero exercit. 365. sect. 8. in part. 1. controversiarum Logicarum pag. 212. disputans, tam impiam esse vocem in divinis consilium, quàm pluralitatem Deitatis, cum hoc loco vox ista Deo attribuatur. Ergo.

De materia constat ex Matth. 3. v. 11. Luc. 3. v. 3. De forma: Nam fuit baptismus pœnitentiæ Act. 16 vers. 4. Confer Evangelistam Lucam, qui iisdem verbis Iohannis baptismum descripsit Actor. 19. vers. 5. quibus nostrum descripserat cap. 2. v. 38. Tumultuatur quidem Bellarminus hoc loco vehementer, inde quia non habuerit invocationem Trinitatis baptismus Iohannis, quæ scilicet ad formam requiratur. Immò Bellarmine, Iohannes baptizavit in nomine Trinitatis, quod demonstramus hoc syllogismo: In cuius nomine remissio peccatorum confertur, in eius nomine baptizavit Iohannes: Quia baptismus Iohannis conferebatur in remissionem peccatorum Marci 1. vers. 4. At remissio peccatorum in solius Trinitatis nomine confertur. certum. Ergo. Addit Iesuita & hoc: Baptismum Christi fuisse Novi Testamenti, Baptismum Iohannis Veteris. Quid audio Roberte, Baptismus Iohannis fuit Testamenti Veteris? Ergone baptismus Iohannis respexit in Christum adhuc incarnandum? Vide quid doceas. Nos objicimus, tu, si potes, respondeas:

Si tum

Si tùm cùm Iohannes ministerio fungebatur in terris vetus testamentum durabit, equidem Moyses & Prophetæ non usq; ad Iohannem, sed post Iohannem prophetarunt. At hoc falsissimum. Vide Matth. 11. vers. 12. Ergo & illud. Et de Fine certum, quia Iohannes prædicabit baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, ut demonstravimus. Quin verè aliàs Iohannes Baptista non fuisset, sed verius balneator. cuius baptismus à purificationibus, non dicam Ethnicis, sed Legalibus & Iudaicis parum discreparet. Hic autem quia acriter contra dimicasse placuit, Roberte, tibi & aliis Iesuitis hos duos opponimus arietes. ad quos quomodo Gregorius de Valentia inprimis cum assecla salvis hypothesibus respondere velit videat. I. Si Iohannis ministeriũ quoad vivam prædicationem, quoad vocale Euangelii præconium efficax fuit ad dandam salutis remissionem peccatorum, Conversionem & salusem, etiam eiusdem ministerium efficax citra administrationem Baptismi. Negabis connexum? At firmum hoc. Non enim sunt duo contraria Sacramenti & verbi ministeria, sed unum idemq; est individuum ministerium, quare unâ sui parte non potest esse efficax, una inefficax nequit. At prius sic se habet Luc. 1. versu 7. Ergo. II. Vbicunq; est fides, ibi remissio peccatorum, salus. Vide Ephes. 1. &c. In Baptismo Iohannis vero scilicet eius usu fuit Fides teste Paulo Act. 19. Ergo, III. Sed dicite nobis, viri Iesuitæ, anne Christus ipse cum Nicodemo agens baptismo tum vigenti renascendi virtutem tribuerit Iohannis 3. v. 5? Porro si substantia & specie Iohannis baptismus distat ab Apostolorum, Apostoli tincti fuerunt alio & specie à nostrate differente Sacramento, immò omnes quotquot Iohannis baptismate tincti, rebaptizandi fuissent. At posterius absurdum est. Ergo. Non quod pueri in fabâ se reperisse hic æstimant Iesuitæ, aiunt enim, eos qui à Iohanne baptizati sunt, ab Apostolis esse rebaptizatos, sed quàm solidè, immò stolidè dabit dicexodus. Videamus breviter: aiunt Paulum jubere baptizari in nomine Domini duodecim viros, qui confessi fuerunt se non habere nisi Iohannis Baptismum Actor. 19. Sed saltant extra choros, nam locus ex Actis 19. huc referri nequit, utpote in quo baptismus non sumitur propriè, sed improprie pro Baptismo Flaminis, miraculosâ nempe Spiritus sancti effusione, quod non conjecturis, ut facit dissimiliter Gregorius de Valentia non Patrum opinionibus, quod Bellarminus, sed ex ipso contextu sic eruimus: Si ibi sermo esset de baptismo propriè dicto debuisset etiam adhiberi aqua ceu pars essentialis, prout factum legimus Actor. 8. vers. 38. At non adhibita, ibi est aqua, sed manuum impositio, vide vers. 5, 6, 7. Ergo nec de baptismo proprie dicto ibi sermo est. II. Talis est ille baptismus qualia Spiritus sancti dona, quæ duodecim istis per baptismi administrationem obtigerunt. Atqui illa erant miraculosa, peculiaria, loquebantur namq; linguis novis & prophetabant v. 7. Ergo baptismus pro ratione istorũ donorũ miraculosus intelligi debet. Ad hæc Christus quum baptizatus ut sanctificaret baptismum, sanctificavit aut nostrum aut alienum. At non alienum; Nobis enim natus, nobis datus Esa. 9. v. 6. Vide Zachar. 9. v. 9. Luc. 2. vers. 10. Factus est nobis sapientia à Deo, & justicia & sanctificatio & redemptio 1 Corinth. 1. v. 30. Ergo nostrum. Perge ulterius: Cuius Baptismum Christus sanctificavit, eiusdem Baptismum suscepit. Sed nostrum sanctificavit, Nostrum ergo & suscepit. nunc conclude: Si Christus nostrum baptismum suscepit, Iohannis baptismus

ptismus à nostro non fuit diversus, sed unus cum eo: Quare Iohannis baptismum Christus suscepit. At prius est. Erit ergo & posterius. Patrum sententiam puriorem è Symbolo Nicæno suprà vidimus, videamus nunc argumentum è Pontificiorum hypothesi: Si Iohannis baptismus specie differt à baptismo Christi juxta Pontificios Sacramenta non erunt statuenda septem novæ legis, sed octo: nempe baptismus Apostolorum, Eucharistia, Confirmatio, Pœnitentia Extrema unctio, Ordo, Matrimonium, Baptismus Iohannis. Qui ergo sit, ut septem tantum hucusq; docuerint? Dicite nobis, vel dogmata vestra corrigite. Seniores Pontificii baptismum Iohannis Sacramentum esse non negant, quod nunc quidam alii id fecerunt, faciunt hoc ex falso principio de Opere Operato, quod confutavimus alibi. Adoriamur nunc & Calvinianos, qui licet baptismum συνόλως consideratum unum, κατὰ μέρη tamen duplicẽ volunt. Externũ unũ propriè sic dictum, Internum alterũ sic translatitiè vocatum, unde etiam Externum & internum baptismum constituere unum totum, baptismũ ebuccinãt. Quare sic arguimus: Si baptismus externus & internus sunt partes essentiales baptismi, quæ constituunt unum totum baptismum, sequitur quod hypocritæ & ex hypothesi Calvinisticâ infantes non percipiant totum baptismũ, sed tantũ baptismi partem: Hypocritæ n. juxta scripturã non regenerantur, renovantur, quod requiritur ad baptismum internũ, neq; regenerantur & renovantur juxta Calvinianos. At posterius absurdum, nam si totum baptismum non susciperent, essent rebaptizandi. II. Omne Sacramentum Novi T. rem habet terrenam & cælestẽ. Baptismus aquæ, qui exterior, seorsim dictus, & baptismus sanguinis Christi, qui interior, seorsim dictus, non constat re terrena & cælesti. Ergo neuter horum est Sacramentum Novi Testamenti. Ergo nec baptismus. III. Verus baptismus non est depositio sordium corporis 1. Petr. 3. v. 21. Baptismus Externus fatentibus & graviter inculcantibus adversariis est depositio sordium corporis. Ergo non est verus Baptismus. IV. Distributio quæ confundit distinguenda & divellit conjungenda, non est proba. At baptismi in internum & externum distributio talis est. Confundit distinguenda, Effectum baptismi cum substantiâ, regenerationem scilicet cum Baptismo ex aqua & spiritu constante, divellit coniungenda, nam soli aquæ & soli Spiritui sancto definitio Sacramenti strictè dicti non competit. Ergo. V. Sic procedimus per puncta: Si Spiritus sanctus est in baptismo præsens, ut esse dicimus utring, est ibi aut otiosus aut operosus. Non otiosus Iohan. 3. v. 5. & quemadmodum in creatione primâ Spiritus fovebat aquas Genes. 1. vers. 2. sic & hîc præsens super aquam operatur. Si Spiritus est operosus, operatur aut seorsim, aut per hanc aquam. Non seorsim, id enim pugnat cum demonstratis. Ergo per aquam. Si operatur per aquam, spiritus & aqua in baptismo divellenda nõ veniunt, ceu baptismi hactenus substantialia. At operatur per aquã, non ergo spiritus & aqua in baptismo divellenda, non ergo duplex baptismus, externus, qui aquæ; internus, qui Spiritus. At, inquit Beza, contrarium est in scripturis EXPRESSE! part. 2. resp. ad colloq. Momp. pag. 477. EXPRESSE! Vbi verò mi Beza? ais 1. Petr. 3. vers. 20. 21. Eo in loco Bezaait Petrum EXPRESSE baptismum, quo sordes corporis abluuntur, à baptismo stipulationis bonæ conscientiæ apud DEum per resurrectionem Iesu Christi distinguere. Respond. Conciliet iste hæc cum Zacharia Vrsino,

qui

qui verba Petrina explicat apertè de baptismo unico part. 1. vol. oper. Theolog. pag. 558. in defensione argumenti quarti. II. Videamus ipsa Petri verba à Beza allegata, sic habent: Expectabatur Dei bonitas in diebus Noë, cum apparabatur arca, in qua paucæ, hoc est octo animæ servatæ fuerunt per aquam, cuius figuræ nunc respondens baptismus nos quoq; salvos reddit: quo non carnis sordes abiiciuntur, sed quo sit ut bona conscientia benè respondeat apud Deum. Quæsumus nunc te quæ hæc sutela: Petrus ait nos salvos reddi baptismo, quo non sordes corporis abluuntur, sed quo sit, ut bona conscientia benè respondeat apud Deū: Ergo est aliquis baptismus quo sordes corporis abluuntur? Esine hæc jactitata ista PERSPICUITAS? Baptismus est Sacramentum, non quo exhibeantur nobis corpus & sanguis Domini sub pane & vino, sed quo per aquam regeneramur: Tune nunc concludes, Ergo sequitur esse baptismum aliquem quo exhibeantur nobis corpus & sanguis Domini sub pane & vino? Inepte. Vides Elenchum oppositorum.

Unitate Baptismi asserta collabascit Marcionis delirium, qui tres baptismos constituit: Primum exhibendum post conversionem primam, Alterum postquam delictum sit admissum post conversionem, Tertium si post baptismum secundum peccatum commissum: Et illud alterum Hemerobaptistarum, qui quoniam indies peccamus, neminem salvum dicebant futurum, nisi singulis diebus sacro baptismatis lavacro tingeretur. Quare & à Papistis aliisq; hæreticis substantialia baptismi retinentibus baptizatus rebaptizari non debet. Notentur rationes:

I. Si circumcisionem non licebat repetere, neq; baptismum repetere licebit, qui in circumcisionis locum successit. At circumcisionem repetere non licebat, neq; ergo baptismum.

II. Ut in hanc temporalem vitam nascimur non nisi semel, ali autem sæpius necessum habemus: Sic ad vitam æternam nascimur semel in baptismo, in Sacramento autem Eucharistiæ alimur & reficimur sæpius.

III. In Baptismo hoc agit Deus, ut voluntatem suam nobis demonstret, quæ, quia est ἀμεταμέλητα & quicquid Novitianis & Catharis videri possit, non mutatur Roman. 11. v. 29. Baptismum ergo ut repetamus, non tenemur. Ulterius sententiam nostram super hac re declarare pergemus infra.

## II.

De causâ baptismi efficiente principali vel institutore dubitari nullo prætextu nequit. Est iste Christus Immanuel Eph. 5. vers. 18. Matth. 28. vers. 19. Marc. 16. vers. 16. De Caussa instrumentali Baptismum conferente maior lis est, quem ordinariè dicimus esse ministrum legitimè ad ministerium Euangelii vocatum è Matth. 38 vers. 19. Quæritur autem potissimum: An Laico sive viro sive mulieri in Christianâ religione rectè instituto tempore necessitatis summæ Baptismum administrare liceat? Negant acriter Calvin. inst. lib. 4. c. 20, 21, 22. Beza in colloq. Momp: pag. 435. cum sociis, quibus opponimus: I. Quod in Typo absq; errore fieri potuit, id etiam in Antitypo absq; errore fieri potest, nisi in Nomenclatore

tore sacro nobis diversum sit dictum. At in typo circumcisione hoc fieri potuit ut circumcisio à mulieribus fuerit administratata, à Zipporâ Exodi 4 vers. 25. Mulieribus sub tyrannide Antiochi 2. Macc: 6. v. 10. Ergo & in antitypo Baptismi idem fieri potest. II. Quibus ordinarii docendi muneris prohibitione extraordinario docendi munere non interdicitur, illis etiam ordinarii baptizandi muneris prohibitione extraordinario baptizandi munere non interdicitur. Hucusq; enim munus docendi & baptizandi conveniunt. At Laicis ordinarii muneris prohibitione 1 Corinth 14. vers. 34. 1. Tim. 2. v. 12. extraordinarium, cogente scilicet necessitate non interdicitur, quin publicum aliquando prophetandi & docendi locum piæ fœminæ obtinuisse certum est, id quod ipsa Baptismatis administratione privatâ maius est: In V. Testamento Deboram Jud: 4. v. 4. Huldam 2. Reg. 22. v. 14. prophetasse, In Novo Annam Lucæ 2. v. 38. publicè de Messia testificatam, Priscillam in viâ Domini præclarum illum Doctorem Apollon instituisse & dicente Apostolo ἀκριβέστερον Dei viam monstrasse Actorum 18. v. 27. videmus: Unde Apostolus suam σύνεργον appellare non erubescit Rom: 16. v. 3. III. Idemq; docent nobiscum Patres Tertullianus & Hieronymus, ratio autem dictorum petatur ex Augustino in libro ad Petrum Draconem capite 27. IV. An vis argumentum ex hypothesi? Concludo Ergo: Si mulier pia vel Laicus homini animam agenti remissionem peccatorum è verbo Dei annunciare æquè ac legitimè vocatus potest minister juxta Calvinianos; equidem juxta eosdem necessitatis in puncto baptismum æquè administrabit. Ratio disparitatis nulla est. At mulier pia vel Laicus alius, homini animam agenti remissionem peccatorum è verbo Dei annunciare æquè potest ac legitimè vocatus minister juxta Calvinianos, Tigurinos & Genevenses. Æquè ergo juxta eosdem necessitatis in puncto baptismum administrabit. Ad quod argumentum ex ipsorum propriis hypothesibus extructum ut respondeant, hac vice moventur.

Ut verò de administrante baptismum quæ quæruntur dextrè expedire possimus primò Donatistarum, Anabaptistarum & Stencfeldianorum (quin & Pontificiorum) sententia rejicienda est statuentium virtutem baptismi pendere à dignitate baptizantis, quam refutavimus disputatione superiore, Hoc loco adjicimus istud Augustini: Baptismus talis est, qualis est ille in cuius potestate datur, non qualis ille, per cuius ministerium datur. in Iohann: tract: 5. Confer eundem in Iohan: tract: 9: Quorsum referas eiusdem cordatam vocem: Quos Iudas baptizavit, Christus baptizavit Tractat: in Iohannem 5. Beda ita effert ut rationem assignet, sive hæreticus, sive schismaticus sive facinerosus quisq; in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille, qui baptizatus est à nobis Catholicis rebaptizari, ne confessio & Trinitatis invocatio annihilari videatur, Homil 33. sup. Matt. Chrysost. ibid. vide & Lombard. lib. 4. dist. 6 De iis qui ab hæreticis baptizati sunt quæritur tamen. Et quondam in urbe Roma Cornelio Episcopatum gerente, & apud Carthaginem Cypriano, ambobus fide, virtute, pietate præstantibus quæstio hac exorta est in Africæ magnis partibus, An oporteat hæreticos rebaptizari? Cumq; id à Cypriano & cæteris pènè omnibus per Africam fieri decerneretur, Cornelius & reliqui per

Italiam

Italiam hujusmodi decretum manente sacerdotali concordiâ refutarunt, statuentes antiquitus à patribus regulam traditam servari debere, quæ continebat, Non abjectionem pravi & confessionem recti dogmatis SOLA eos MANUS IMPOSITIONE purgandos. Vide Eusebium libro 7. Ecclesiastic. histor. cap. 2. Respondemus autem distinguendo. Aut enim hæresis, quæ sonat in ea Ecclesiâ, impingit in Sacramenti substantiam, aut illam relinquit salvam. De his negamus eos esse rebaptizandos, sed per manus impositionem recipiendos statuimus cum Niceno Concilio, De illis eos rebaptizandos esse omninò affirmamus. Sic Ariani baptizant in solo Patre vero Deo, in Iesu Christo Salvatore & creatura, in Spiritu sancto utriusq; servo teste Hieronymo contra Luciferum, & Athanasio serm. 3. contra Arianos: quem baptismum esse verum negamus. Adponimus huc historiam scitu dignam, quæ extat apud Nicephorum: refert iste Episcopum quendam Arianum, nomine Deuterium, more Arianorum voluisse quendam Barbam baptizare dicendo: Baptizatur Barbas in nomen Patris per Filium in Spiritu sancto, abolendæ nempe institutionis Baptismi gratiâ: sed aquam, quæ in lavacro erat subitò disparuisse, & Barbam ipsum inde profugientem miraculum hoc omnibus divulgasse libro 16. cap. 35. Nimirum, sic Deus quid de Arianorum baptismo sentiret, docere voluit. Tenendum quoq; quod si in Ecclesiâ quæ de Trinitate rectè sentit, minister quidam esset (qualis erat olim per annos aliquot Adamus Neuserus in Academia & Ecclesia Heidelbergensi) occultè Arianismum fovens, baptismus nihilominus verus est baptismus, Quia baptismus non ministri, sed Ecclesiæ bonum est, cui hoc ceu matrifamilias concreditum est, quæ etiam suas preces in baptismi administratione conjungit, nunquam irritas. Theodori Bezæ rigidam censuram improbamus, qui in quæst. & resp. quæst. 137 negat baptismum ab illegitimè vocatis collatum, esse verum. Cui Marpurgenses, si modo videri volunt administrasse semper Baptismum, contradicent severiter & sub formâ pœnæ: Nam

I. Sic certitudo baptismi exulabit omnis, siquidem ne ipse Beza quidem scire potuit, num sacrificulus Papisticus, à quo baptizatus est, legitimè sit vocatus nec ne.

II. Christi exemplum testatur contrarium: Hic enim horum qui interruptâ sacerdotum legitimorum successione Moysis cathedram VI & FRAUDE occupabant Iohann. 10. vers. 1. ministerium ratione effecti adeò non improbat, ut auditores suos eò ableget. Matth. 23. vers. 3. Quæris ulterius, an possit aliquis seipsum baptizare? Resp. Neutiquam. I. Ita forma mutaretur baptizandi: Ego baptizo me ipsum, Cum hactenus legerimus in Bibliis, Ego baptizo te.

II. Sic concludo: Si idem nequit seipsum generare, nequit etiam seipsum regenerare, utrinque contradictio. At nequit idem seipsum generare. Ergo nec regenerare, regeneraret autem seipsum, si seipsum baptizaret. Hæc de eo qui baptismum ministraliter potissimum administrat, quorum in classem ipsum Christum quoq; collocat Bellarminus, affirmans Christum Baptizasse, cui opponimus istud è Iohan. 4. v. 2. Iesus non baptizabat, sed discipuli ejus.

## III.

Cum omne Sacramentum constet re terrenâ & cœlesti, quæritur: Quæ res sit in bapti-

baptismo terrena, quæ etiam cælestis? *Rem terrenam esse aquam, Ecclesiæ hucusq; fuit creditum.* *Quid alii?* *Seleuciani & Hermiani non aquâ, sed igni putabant baptizandum, quibus & Iacobitas accenseas, qui aquæ loco ferro candenti crucis figuram frontibus imprimebant innixi illo Matth. 3. vers. 11. Ipse vos baptizabit spiritu & igni.* *Vide Philast. & August. de hæres. cap. 59. Bern. Lucemb. Manichæi aquam non adhibebant, quia aquam putabant non à Deo sed Diabolo esse creatam, Contra quos Augustinus in Catalog. hæret. t. 6.* *Paulicianè loco naturalis aquæ, in baptismo illa verba substituebant Ioh. 4. v. 14. Ego sum aqua viva.* *Nec melius Marci hæretici sectatores.* *Carlostadius impudicissimo ore, baptismum aquâ constantem, lavacrum canum, balneum porcorum vocat Confess. Mansfeld: pag. 73. editâ anno 65. Bezitæ alio quovis liquore ritè posse baptizari asseverant è Beza volum. 3. pag. 196. Contrà, aquæ necessitatem probamus testimonio Christi Ioha. 1. v. 5. Pauli Eph. 5. v. 26. Petri 1. Epist. 4. v. 21. Iohannis 1. Can. 5. vers. 8.* *II. Exemplis Baptistæ Matth. 3. vers. 6, 7, 11, 16. Marc. 1. vers. 5. 8, 9. Luc. 3. vers. 16. Ioh. 1. vers. 26. c. 3. v. 23. Apostolorum Iohann. 3. versu 22, 23, 26. c. 4. v. 2. Act 8. v. 34. c. 10. v. 47 & totius Ecclesiæ primitivæ. Hinc non nisi singulari consilio Deum aquâ voluisse baptizari statui debet, ne inopia quem excusare posset quando apud omnes mundi incolas reperiretur aqua.* *III. Pro elemento quod promissionem sibi habet annexam substituì non debet aliud promissione carens.* *Aqua in baptismo promissionem habet sibi annexam Joh. 3. v. 5. Eph. 5 v. 26. & alibi Ergo pro eâ aliud promissione carens substitui non debet. IV. Baptismus est lavacrum aquæ in verbo Eph. 5.* *Peregrini liquoris aspersio non est lavacrum aquæ in verbo. Ergo nec baptismus.* *V. Ex hypothesi adversariorum propria: Facilius possunt quædis alia omitti in Sacramento quàm pars substantialis.* *Hoc sensu sæpius firmarunt propositiones Herbornenses, Genevenses.* *Hinc sic arguimus: Si in summo necessitatis casu non licet ordinarium mutare ministrum & à Laico accipere baptismum, multò minus licet in eodē casu mutare rem terrenā, materiam scilicet ab ipso institutore ordinatam.* *At prius non licet, sic audivimus è Calvinianis suprà. Ergo nec licet posterius.* *Quod si etiam ista sunt retinenda, quæ analogicè repræsentant optimè, quid est quod Beza aquæ necessitatem non urgeat?* *Triplex ἀναλογία illustris est.* *I. ut exteriores corporis sordes oportet aquâ elui φυσικῶς: ita interiores per aquam baptismi ὑπερφυσικῶς.* *II. Ut aquâ humum rigari & fœcundari oportet: ita per aquam baptismi datur Spiritus sanctus, per quem fructificant credentes Deo & justiciæ, vide Ambrosium ad Roman. 6. & de initiand. lib. 1. c. 4.* *III. Ut aqua corporis sitim sedat: sic æstus iræ Dei in corde peccatoris gratiâ baptismi restinguitur & refrigeratur. Vide Hieronymum in 83. epist. ad Oce.* *Hinc rectè Niceph. lib. 3. cap. 37. Judæum arenâ malè baptizatum aquâ scribit fuisse denuò baptizandum.* *Vide hic quæso Calviniani spiritus artes miras Calvinus (ut aliàs etiam Bucanus in inst. lib. 47. q. 18.) eò non obscurè alicubi inclinat ut aquam terrestris Elementi loco unicè putet adhibendam, at quod facit aliis in locis plurimis, fundamentum præcipuum, quo id probavimus è Johanne cap. 3. v. 5. nobis surripit, & ut se non nisi Typis gaudere declaret, dicit Christum ibi non locutum esse de baptismo, sed in illo loco non propriè elementum*

mentum Aquæ, sed metaphoricè Spiritum sanctum denotare, ut Aqua sit Spiritus S. epitheton lib: 4. instit. c. 16. Calvinus sequitur Cinglium, Calvinum inprimis Tossanus. Expugnandum hoc est: idq; his rationibus. I. Non est discedendum à verborum proprietate, nisi obstet vel articulus vel analogia Fidei, nam Theologia allegorica non est argumentativa. At hîc ut à proprietate verborum discedamus, intelligentes per aquam non elementarem aquam, sed S.S. non obstat vel articulus vel analogia Fidei. Ergo. II. Si Christus ea quæ ex Johanne adducuntur proferens, respicit ad Iohannis baptismum, quem Pharisæi spreverant Luc: 7. vers. 30. aquam intellexit propriè non metaphoricè, quia in baptismo Johannis erat aqua propriè dicta. At prius est Nam scopus Christi est monere Nicodemum, ne unà cum cæteris sive Pharisæis sive legisperitis consilium Dei de regeneratione rejiciat, sed actutum curet, ut per baptisma Iohannis aquâ & spiritu regeneretur. Ergo III. Sed libenter peteremus à Calvino testimonium Scripturæ, quo probare velit aquam esse in hoc Sacramento rem terrestrem, quoad hæc somnia retinuerit. Proferat quicquid velit, respondebimus ipsius verbis: Intelligitur per Aquam Spiritus. IV. Ex adversariâ cohorte faciunt nobiscum Genevenses alii & Tigurini, immò Calvinus ipse contra Calvinum: Nam expressè ait in epistolis p. 377. aquam in verbis Christi intelligendam esse literaliter. Concilia. Porro qui aquam volunt retinendam nec hi eadem incedunt viâ, sed nonnulli aberrant à regiâ. Videas superstitiosos nonnullos qui aquam malunt fluvialem quàm fontanam, eò quia in flumine Christus baptizatus sit. Videas stolidiores mulierculas quæ superbiæ Vento agitatæ aquam adhibeant rosaceam vel alium liquorem extractum, in locum elementaris aquæ. Videas Pontificios, ut Scotistas postulantes aquam elementarem frigidam, lucidam, communem, vulgarem, videas Pontificios alios Sacramenti huius aquam conspurcantes. Sic enim Toletus lib. 2. cap. 18. de casibus conscientiæ & in hæc verba scribit pag: 139. Potest esse baptismus ex lixivio, brodio carnium vel piscium, quando non est notabilis mixtio ut aqua non sit. Potest etiam esse aqua expressa è luto, si qua exprimatur, licet sit cum terrâ. Similiter in aquâ sulphureâ. Et idem è Thoma concludit Gregorius de Valentia tom. 4. disp. 4. quæst. 1. pag. 747. Sed I. Qualitas aquæ modò vera aqua sit nil derogat veritati substantiæ. II. Conspurcationem Toleti improbamus, nam aquam esse adhibendam mundam deducitur & è verbis Apostoli Heb. 10. v. 23. Et exemplo Iohannis discipulorumq; Christi aliorum, qui limpidâ usi aquâ, non luteâ, sulphureâ Matt. 3. v. 11, 16. Marc: 1. v. 8. Actor. 10. v. 47. Et in Ecclesiâ primitivâ etiam extra Ecclesiam administrabatur baptismus in fontibus & fluminibus (adeoq; aquâ purâ) id quod notat Valefridus Strabo de reb: Ecclesiast. cap. 26. hisce verbis: Sciendum primò simpliciter in fluviis vel fontibus baptizatos credentes. Sequitur: Quænam res cælestis? Calvinianorum significatio, quicquid etiam Beza obtendat satis detecta est, ex exploditur merito. Orthodoxi non uno modo se explicant, sunt qui rem cælestem volunt esse verbum mandati ἐντολῆς Matth. 28. vers. 19. Et promissionis τῆς ἐπαγγελίας Marc. 16. v. 16. Sunt qui Spiritum sanctum, Sunt qui Christi sanguinem, Sunt qui S. Trinitatem, Deum

Patrem, Filium, Spiritum sanctum. Sic sentimus: Verbum mandati seu causam efficientem, Verbum promissionis seu finalem sequestrari hinc non posse: Nam expressè Apostolus Eph. 5. v. 26. Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro eâ: ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ IN VERBO. Verè q. D. Augustinus: Tolle verbum, & quid est aqua, nisi aqua? tract. 80. in Joh: Vide Luther: in Catechism: maior: sed verbum partem esse materialem in baptismo, & ut loquimur rem cælestē non adseveramus: Ratio, quia sic etiam verbum institutionis in Eucharistia pars esset materialis, res cælestis esset, quod ipsimet negant, qui prius adfirmant. Spiritus S. à parte cælesti non excluditur, sed est verè (cum Patre & Filio) huius Sacramenti pars materialis, id quod constat è Ioh. 3. v. 5: ad quæ verba nervosè sed nō satis, Ferus commentatur, Observa, ait, quod baptismus nominatur à Christo spiritualis nativitas: idq; convenientissimè. Nam sicut in generatione carnali pater & mater: sic in spirituali Deus Pater, Ecclesia autem Mater. Et Deus quidem spiritum dat: Ecclesia autem aquam. De Christi sanguine dicemus, ubi primò de Trinitate: Quam esse rem cælestem & partem essentialem alteram probamus ex verbis Christi, quæ sic habent: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus S. Mat. 28. v. 19. unde rē cælestē in baptismo esse Trinitatē cur nō cōcluditur? Quid nunc de Christi sanguine, quo rubere baptismū dicit D. August. tract: in Ioh: 11. Et ratione substantiæ & ratione meriti concurrere ad baptismum nemo negat ex orthodoxis, hoc a. quærunt, anne pars etiam sit cælestis? adfirmamus hac ratione: Si humana natura (adeoq; & sanguis) in Trinitatis consortium est adsumpta, ut est, quia subsistit ὑποστάσει verbi, quæ interna est Trinitati, erit etiam pars cælestis baptismi. Quia Trinitas est pars cælestis (materialis) baptismi ut probavimus. At prius, ergo & posterius. Ratio est, quam ut piæ mentes in timore Domini considerent, monemus. Hinc resultat nunc unio qua in usu essentiales partes mutuo sibi uniuntur sacramentaliter & realiter modo imperscrutabili. Unde fit ut quemadmodum aqua viribus ignis immensius calefacta non aliter quàm ignis urit: sic hîc aqua è totius Trinitatis operatione, quam sibi adjunctam habet, in divinam reformatur virtutem, quâ baptizati corpus abstergit.

## IV.

Porro FORMA baptismi in quo consistat Controversiæ est. Sic sentimus: In internâ Unione, & externâ actione. Utraq; exprimitur verbis Christi, quibus jubet baptizare omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti Matt. 28. v. 19. Unio sacramentalis est, quâ in vero usu partes istæ quas diximus esse rem cælestem & terrestrem mutuo sibi junguntur sacramentaliter, Ita, ut finiti ad infinitum hîc mira fiat proportio aquæ, ad S. S. Trinitatem, proportio non hyperbolica Durandi, non univoca Scoti, sed talis quæ unicè verbis institutionis conformis, tota in aquæ officio Sacramentali, quod est, ut sit instrumentum verbo Dei segregatum, benedictum, cum quo S. S. Trinitas in his qui baptizantur, operatur regenerationem & renovationem Ioh. 3. v. 5. Tit. 3. v. 5. Actio ipsa absolvitur dictis & factis. Dictis, quæ Salvator præscribit Matth. 28. v. 19. Baptizate eos in nomine

Patris

Patris & Filii & Spiritus sancti. Hinc August: Non omnis aqua mundat, sed quæ per consecrationem Domini sanctificatur lib. de Catech. cap. 3. Factis, mersione, scilicet in aquam vel aspersione. His præsuppositis & dextrè inculcatis, variis quæstionibus satisfieri potest. Errat ergo Valentini discipulus Marcus qui cum assectis baptizabit in ignotum Deum, vel nomen ignoti Patris omnium: in veritatem Matris omnium: in nomine descendentis Iesu ad unctionem & redemptionem & communionem virtutum, quem errorē alii Gnostici attribuere solent & Marciani affines Ariani, Paulianistæ, Cataphryges, Bonosiani & Eunomiani. Vide August. lib. de hæres: concil. Nicen. can. 19. decret. part. 3. dist. 4. cap. 84. Errat ergo Zwinglius qui non esse necessariam certam verborum formam dicebat, de vera & falsa relig: cap. de baptism. actionem faciens è baptismo mutam. Errant ergo ii omnes, qui verba institutionis baptizantes mutant, quocunq; cum Beda, Bernhardo & Hugone tandem quærant prætextus. Nec est ut objiciant ex Act. 2. v. 38. c. 10. vers: ult. c. 19. v. 5. ubi Apostoli leguntur baptizasse tantū in nomine Christi. Nam I. istic verbis non caussa baptismi formalis sed efficiens principalis Christus, qui Sacramentum hoc instituit, denotatur. II. Cum Ambrosio lib. 1. de Spir. S. c. 3. de tota Trinitate expenere non veremur: cum enim Christum dicis, & Pater à quo unctus est, intelligitur, & ipse qui unctus est, & Spiritus S. per quem unctus est. At retineantur verba illa, quid autem si in recitatione istorum verborum syllaba aliqua immutetur? Respondemus: Sensu manente integro & non de industria corrupto baptismum esse verum: Sicq; Zacharias Pontifex pro rato baptismum agnovit, quem sacrificans quidam insigni ruditate in nomine Patria, Filia & Spiritu sancta administrabat. Bonifacium qui eum rebaptizarat ob id culpans, decret. part. 3. dist. 4. cap. 86, sicq; Græcorum baptismum non rejicimus nullitatis specie, qui hac forma (si Latinè reddas) baptizant: Baptizetur N. in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, cum Latini dicant, Ego baptizo te in nomine &c. Quare nec movemur eorum disputationibus qui sollicitè: An in nomen an in nomine Patris, Filii & Spiritus S. baptizandum sit inquirunt. Dicimus enim id esse perinde, quia utraq; locutio in Scripturis S. reperitur. Illa, in nomen Matt. 28: v. 19. 1. Corinth. 1. v. 13. Hæc, in nomine Act. 2. vers: 38. cap. 10. v. 48. Circa facta errant Ecclesiæ Orientales, quæ baptismum administrari volunt tantum immersione non aspersione, nos Occidentales reprehendentes qui aspergimus baptizandos, id q; in capite ceu digniore corporis parte. Orientalibus opponimus, quod vocabulū baptizandi significationem habeat generalem, sub se comprehendentem ut immersionem sic aspersionem, quod & contra Calvinum lib. 4. instit. cap. 15. s. 19. Bezam Epist. 2. VVolff. Musculum in L. comm: Keckermannum Syst. Theolog. lib. 3. c. 8. Pistorium im wege weiser. Bellar. l. 1. de baptism. c. 1. observandum. Probamus I. Quia ablutiones Leviticæ baptismi dicebantur. Adi Leviticum Mosaicum & adde Marc. 7. vers. 3. 4 2. v. 4. 16, 17. Joel: 2. v. 28. III. Quia Paulus baptismum vocat lavacrum Eph. 5. vers: 26. Tit: 2. v. 5. & Petrus 1. epist: 1. vers: 2. sub aspersionis voce baptismum complectitur. IV. Quia idem sacra testantur exempla in universali, cum Act. 2. vers: 41. ter mille viri & integræ quandoq; familiæ baptizatæ dicuntur,

*omnes a. immersos fuisse in aquam nunquam demonstrabitur.* In particulari: *cum significanter Actor. 22. vers: 16. legitur: Baptizare, & ablue peccata tua. Ratio autem cur aspersionem non immersionem aliàs per se licitam adhibeamus, est, cum inter alias commoditates hæc potissima in locorum Occidentalium & Septentrionalium conditione frigidiore. Utimur autem aspersione & quidem trinâ respectu non solum Trinitatis, quæ caussa annotata est ab Hieronymo super Epistol. Eph. 4. Ambrosio lib. 2. de Sacram. cap. 7. Concilio Toletano. quart. cap. 5. sed & respectu triduanæ sepulturæ Christi, & resurrectionis tertio die factæ, quæ caussa annotata à Damasceno lib. 4. cap 10. Petenti in ipso disp. actu è Syriacæ linguæ, quâ Christus usus dicitur proprietate, citra ullam Cabalam istam trinam aspersionem adstruemus & confirmabimus.*

## V.

*Disceptatur,* An baptismus sit tantum signum regenerationem significans; an v. vere vivũ regenerationis organõ? *Negant Calviniseque posterius, adfirmãtes prius, Beza 2. part. resp. ad act. colloq. Momp. pag. 113. Ursin. part. 1. fol. pag. 555. Hungari pag. 201. Heidelbergenses in Cathechism. p. 38. Sic Genevenses, Marpurgenses, Herbornenses. Opponimus iis. I. diserta Scripturæ axiomata Zach. 13. vers. 1. Ioh. 3 v. 5. Act. 22. v. 16. Tit. 3. vers: 5. 1. Pet. 3. vers: 21. II. Si Christus baptismum cum nativitate naturali confert, utiq; innuere voluit, Baptismum esse verum organon per quod homo renascatur spiritualiter. Prout enim homo per nativitatem naturalem nascitur ad vitam naturalem: sic per baptismum nativitatem scilicet spiritualem nascitur ad vitam spiritualem. At prius est Joan: 3. Ergo. III. Vel quomodo aliàs subsisteret quod Petrus contulit Baptismum cum arca Noæ 1 Ep: 3 v: 20, Arca n. non nudum signum, sed medium fuit liberationis è diluvio. IV. Signum tantum significans signato est posterius tanquam adjunctum subjecto. At baptismus regeneratione non est posterior. Ergo. V. Confundit dogma hoc substantiam Sacramentorum Veteris Testamenti & N. Test. VI. Si tantum est regenerationis signum baptismus, sequitur quod maior fuerit ἐνέργεια in lotionibus veterum, sequitur quod plus profuerit aqua Jordanis Naamo leproso 4. Reg: 5. Luc: 4. Piscina Probatica ægrotis Ioh: 5. quàm hoc Sacramentũ baptizatis, quod absurdissimũ. Excipiunt non doceri ab iis baptismum esse nudum signum, tantum significans, sed quantum ad Electos esse illud medium, per quod revera bona illa interna applicentur & designentur. Sic Hungari in Panharmon: pag: 279. Resp: I. Verborum tintinabula sunt. Nam hæc omnia de Baptismo tantum interno explicant. II. Infantes electi baptizati non habent fidẽ juxta Calvinianos tunc cum baptizantur, vide Bez. in 2 part: q: 111. reprobi a. nunquam, quid ergo baptismus in iis obsignabit? Istud quod nõ est? Pontificii regenerationis organũ esse concedunt baptismũ, sed peccant interim in excessu, dicunt peccatum originis in baptismo non modò remitti, sed & planè tolli & aboleri, ita ut baptizatus peccatum amplius non habeat,*

*Bellar:*

*Bellarminus lib. 1 de baptism: c. 13. Hinc concupiscentiam post baptismum in renatis reliquam peccatum esse negat idem cum Pelagio apud August: tom: 7. qui videat quomodo sibi constet, cum concupiscentiam ait repugnare legi Dei, & tamen eam non esse peccatum, quæ nunquam conciliabit.* Conductitius iste Rabula. I. Payba *in refut: examin: pag: 777 & 799. nobum protrudit distinctionis monstrum. Concupiscentiam post baptismum non esse peccatum per se, sed quia ad scelera mentem inflectat, divinæq; legi contraria suadeat. Anne quid potuit dici ineptius? Quasi vero ex arbore putridâ fructus bonus & vicissim? Vide quid Christus pronunciet Matth. 7. vers: 18. Quale obum talis pullus, dicebant Ingolstadienses tui Dn. Payba & rectè. Sufficit istud quod Apostolus non modò Rom. 7. concupiscentiam istam peccatum nominet, sed & eam ita describat, ut id colligere inde sit promptissimum: privativè §. 18, 19. cap: 8. §: 7. positivè cap: 7. vers: 19. & 23. Peccant quoq; Pontificii in defectu, cum baptismum appellant primam tabulam post naufragium, sic ut lapsis post baptismum regenerationis illud lavacrum non prosit, sed eo tantum momento quo baptizantur, volunt ergo quod gratiæ fœdere fracto alio indigeamus remedio & tabulâ aliâ, nostra nempe contritione & satisfactione, cujus ope ad salutis portam enatemus. Vide Concil. Trident: Can. 10. Bellar. de baptism. l. 1 cap 18. Qui I. contradicunt Apostolo Petro 1 Ep: 30. §. 21. baptismum non tabulæ navis fractæ, sed navi firmissimæ, arcæ nempe Noachi conferenti, & fructus divinos ibidè baptismo tribuenti, etiam salutem animarum. II. Major fuisset efficacia Circumcisionis, cujus memoriâ David & Jonathan maximis adversitatibus presi se erigebant 1. Sam: 14. §. 6. cap. 17. §. 36. quod ἄτοπον. III. Fœdus cum Deo initum respectu Dei est æternum. IV. Et ipse Apostolus Corinthiis olim perceptum baptismũ sibi solatii loco proponit 1 Cor. 6. §. 11. E dictis falsitas dogmatis Bellarmiani cap. 6. de baptismo patescit, quando baptismum aquæ vult suppleri per Martyrium tam in parvulis quàm adultis, quem baptismum sanguinis vocant, & per conversionem veram quoq; in adultis; hoc loco sic argumentamur: Si Martyrium & Conversio juxta Scripturam sacram dicentur supplere posse baptismum aquæ, fiet illud vel quia seorsim baptismi nomen proprio significatu vel res de eorum altero prædicatur vel quia utrumq; conjunctim tribuitur alterutri. At neq; seorsim prædicatur de illis nomen seu substantia, significatu proprio ipso Bellarmino fatente, neq; res vel fructus, quod sic concludimus: Quæ non habent eandem formam & substantiam, neq; habere possunt eandem operationem. Martyrium & conversio fatente Bellarmino non habent eandem formam & substantiam cum baptismo. Ergo nec operationem. Si non & hoc. Ergo nec conjunctim alterutri tribuitur. Ergo martyrium & conversio baptismum supplere non possunt.*

## VI.

*Cum in definitione baptismi dictum sit baptismo ablui homines vivos, quæritur distinctius* De baptizandis, quinam tales meritò dici possint? *Responsio fundatur in verbis Christi* OMNES GENTES. *Ubi primò occurrunt infantes. Ii sunt, vel Christianorum & fidelium vel infidelium; Turcarum, Judæorum,*

*hoc est*

hoc est eorum, qui Ecclesiam non habent Matrem. Priores baptizandos esse contra Anabaptistas tuemur, à quorum errore qui se liberare Calviniani velint, maturè dispiciant, Nam I. Si infantes non sunt capaces partis substantialis baptismi non erunt baptizandi: qui enim non capit partem multò minus capiet totum. At infantes non sunt capaces partis substantialis baptismi juxta Calvinianos. Vide Bez. 2. part. resp. ad coll. Momp. pag. 122. & in præfat: 1. part. resp. pag. 22. & 23. Ergo juxta eosdem infantes non erunt baptizandi. II. Inanis Ceremonia in Ecclesia adhiberi non debet, etiam juxta Calvinianos reformatores. At baptismus infantum juxta Calvinianos est inanis ceremonia, quia Sacramentum absq; fide utentis est inanis Ceremonia, infantes a iisdem non habent fidem. III. Qui emundatione à peccatis nullâ indigent, ij non sunt baptizandi. Quorsum enim ait Calvinista? At infantes fidelium parentum nullâ indigent emundatione à peccatis juxta Calvinianos, dicunt n. istos nasci sanctos, Beza passim, & alii, pro eo quod Paulus dicit eos esse τῆ φύσει filios iræ Eph. 2. v. 3. Ergo juxta Calvinianos non erunt baptizandi. Quid ergo est quod Beza tot folia, Martyr tot paginas, Fistator tot disputatione, alius in eadem schola alias super alias scriptiones pro Pœdobaptismo protulit? Sed neq; Anabaptistis modò, sed & Calvinistis, sed & Arianis novellis, sed & Pontificiis in colloquio nupero Ratisbonensi è Bellarm. lib. 1. de baptism. c. 8. gannientibus, Pœdobaptismũ neq; expresè in Scriptura tradi, neq; evidenti ratione inde deduci posse sine Ecclesiæ Pontificiæ auctoritate, hos è sacro Codice opponimus arietes: I. E mandato generali Matth. 29. v. 19. Marc. 16. v. 14. Matth. 18. v. 14. II. Ad quos pertinet fœderis promissio, ad eos etiam fœderis obsignatio. Constat id è relati & Correlati connexione. At promissio fœderis pertinet etiam ad infantes Gen. 17. v. 10. Explicante Petro Act. 2. v. 38, 39. Ergo etiam obsignatio. Ergo baptismus. III. Si istis, qui sub diluvii tempus servari voluerunt, arca necessariò fuit ingredienda: etiam infantes extra casum necessitatis erunt baptizandi ut salventur. Quia ista servatio typus fuit baptismi 1. Petr. 3. v. 21. At prius est. Ergo. Et similiter: Si Israëlitæ omnes per mare rubrum ambulantes baptizati in nube & mari dicuntur absq; ullo discrimine ætatis, etiam in Novo Testam. vitam æternam ingressuri absq; discrimine ætatis (adeoq; & infantes) sunt baptizandi. Nam & hic transitus fuit typus nostri baptismi 1. Corinth. 10. v. 2. At prius est 1. Corinth. 10. v. 1. Exod. 14. Ergo. Adde Iohann: 3. v. 5. IV. Idem constat è Circumcisione, nam Judæorum infantes in Testam: Veteri circumcidebantur. Et V. Lutheri argumentum dicimus esse firmissimum, quo sic concludit in part. 1 Postill. Ecclesiast. p. 184. Si infantes (παιδία) Patrem agnoverunt, sequitur eos esse baptizandos. At prius est è Iohan. 1 Ep. cap. 2 v. 13. Ergo. At inquit Anabaptista, Pœdobaptismum destitui omni exemplo in sacris literis. Respond. Esse hoc falsissimum. Vide Act. 16. v. 33. Actor 18. v. 8. 1. Cor. 1. v. 16. II. Pone non esse, & quære vicissim ab Anabaptista, ut monstret tibi exemplum Scripturæ explicitum, quo adstruere possit fœminis esse porrectam Cænam Domini. Attende quæso quid dicturus sit? Obtendit mandatum, Bibite ex hoc omnes: tu vicissim alterum, Baptizate omnes gentes. Obtendit toti Ecclesiæ Corinthiacæ cœnã esse porrectã: tu vicissim esse & toti familiæ

Nay effugia. Sed vero si exemplis agendum,

obten-

obtendunt aliud; Christum non in infantia, sed ætate adultâ esse baptizatum concludunt, ergo & nobis illud esse imitandum. R. I. Argumenti huius nulla potest dari connexio. II. Cur Christus adultâ demum ætate baptizari voluerit, ejus rei habuit rationes quæ nobis non sunt: Nam cum baptismus tempore pueritiæ Christi nondum fuerit in Ecclesiam Dei inductus, Christus illum non suscepit, sed tunc demum quamprimùm fuit in Ecclesia institutus; III. Hac ratione Anabaptistis expectandum esset ad annum usq; tricesimum, at hoc non faciunt. IV. Sic retorquemus: Si Christus in infantia fuit statim circumcisus, baptismus autem circumcisioni successit, utiq; homines non in ætate adultâ, sed in ipsa infantia sunt baptizandi. At prius est. Luc. 2. v. 21. Ergo & id, quod posterius. Accedit chorus Patrum universus, quod tantum abest ut negent Anabaptistæ, at potius contra eum stylum dirigant. Quod si quæsieris: An infans quem mater totum eniti nequit, aquâ in nomine S. Trinitatis sit aspergendus, Negativè respondemus. Ratio: Renasci non potest quisquam nisi natus sit, regeneratio de eo dici potest quem generatio præcessit Ioh. 3. v. 5. Vide Isidor. de sum. bon. l. 1. At isti infantes nondum sunt nati, non possunt ergo renasci. Sed & eos baptizandos esse existimamus, de quorum baptismo dubitatur, etiam infantes inventitios ut ut schedulâ adjecta nulla testium adhibitorum factâ mentione clam baptizatos esse adserat, etiam si contingat, ut in casu necessitatis usurpato baptismo, mulierculæ trepidantes quasi adserant, nescire se quid egerint, quâ materiâ formâve verborum usæ fuerint, absq; curiosa ministrorum Ecclesiæ inquisitione infantem istum putamus baptizandum. Quomodo enim aliàs pacatâ frueretur conscientiâ, quomodo habebit quod Satanæ telis ignitis masculè opponat? Nec tamen Pontificiorum sententiæ adstipulamur, qui istos baptizant, sedhac formâ: Si baptizatus es, te iterum non baptizo: Si verò non baptizatus es: Ego te baptizo in nomine &c. Vide Catechism. Rom. de baptism: & Toletum de cas. conscient. pag. 141. Nam hoc modo incertitudinem declinans incidet in eam, non enim potest fieri, quin vel præcedens vel subsequens baptismus dubius reddatur & incertus: Hicq; locum tenet pia vetustatis regula, Non potest dici iteratum, quod ita nescitur esse factum. Vide Lutherum tom. 8. Jenens. German. pag 52. Porro infantes verè baptizatos fidem habere adfirmamus, idq; ex iis quæ diximus ad quæst. 5. Contradicunt magno conatu Cingliani cum Anabaptistis in coll. Franckenthalensi. Beza resp. ad act. coll. Momp. p. 99 & alibi. Martyr in locis comm. pag. 826. Musculus in locis è pag. 240, 336. Calvinus autem in suspenso relinquit in inst. lib. 4. c. 19. §. 19. Accedunt Ariani nobelli ut Schmaltz. in Catheches. Pontificij fidem quidem habere concedunt verò eam dicunt esse non actualem, sed habitualem, Bellar. lib. 1. de baptism. cap. 10. & seqq. Vnde commune istorum postulatum emergit: infantes tantum in fide parentum & Ecclesiæ baptizari: Beza coll. Momp. p. 485, 495. compend. Theolog. Scrit. lib. 6. c. 9. p. 434. Contra I. παιδία & pusilli in Christum credunt. Marc. 9. v. 24: Matt. 18 vers. 6 Infantes sunt παιδία & pusilli. Ergo. Excipit quidem Beza loco citat: & repetunt ex eo Hungari in Panharmoniæ pag. 217. Christum allegat: loc. loqui de puerili non ætate sed conditione, hoc est, de adultioribus piis qui mundi judicio parvi appellentur. Respond. I. Lucas hoc ut expressè τὰ βρέφη τὰ παιδία

παιδία. Ergo non intelligit adultiores, 2. legitur quod in ulnas sumpserit, anne adultos? 3. Neq; aliter sentit Calvinus lib. 4. cap. 16. §. 7. Bucan. instit. Theolog. c. 47. pag. 637. II. Infantes in baptismo aut induunt Christum aut non induunt. Si non induunt, Pauli ἀξίωμα vacillaret, Quicunq; in Christum baptizati, Christum induistis Galat. 3. v. 27. Absurdum. Si induunt, Ergo & Fidem per baptismum accipiunt, ut eâ Christum induant: Fide enim stamus Rom. 11. v. 20. III. Fædus inter Deum & hominem iniri potest nisi per Fidei mediũ Heb. 11. v. 6. At inter Deum & infantes fædus initur in baptismo 1. Pet. 3. v. 21. Ergo per fidei mediũ. E. infantes Fidem habeant sequitur. IV. Adulti regnum cælorum possidebunt prout infantes Marc. 10. v. 15. At adulti id possidebunt solâ Fide Hæbr. 2. vers. 4. Rom. 3 vers. 28. Ergo & infantes. V. Idem docent August. tom. 3. de peccator. merit. & de baptism. parvul. lib. 1. cap. 15. Bern. Homil: 6. Pentec. & in 8 cap. Ioh. Salon. in proverb. Salom. Be. in loc. sentent. ex hypothesi idem colligitur: Universa Ecclesia, significatione generaliore, constat è credentibus & incredulis. At infantes baptizati non pertinent ad incredulos, attestantibus Pontificiis, Arianis, Calvinianis. Ad credentes ergo. E Bezæ verbis idem concludi potest, quæ talia sunt part. 2. resp. ad act. colloq. Momp. pag. 101. Assentior quoq; ait tribus istis, ut certissimis & immotis enunciatis: Ad infantes in Ecclesiæ corpore natos pertinere regnum cælorum: neminem ingredi in regnum cælorum, nisi in Christo justificatum: neminem nisi solâ Fide in Christo justificari. Hæccine concedis Beza? Concedas ergo & hoc argumentum è tuis hisce verbis contra te extructum oportet: Quicunq; ingrediuntur regnum cœlorum, habent Fidem. Quidam infantes baptizati ingrediuntur regnum cœlorum. Habent ergo fidem. Concilia. Sed habeant dices, habent non nisi habitualem, non actualem, sic enim tacitè concluditis cum Pontificiis, scribitis infantes habere Fidem potentiâ non actu, non habere habitum (terminus mutatur Pontificius res retinetur) sed semen Fidei. Ut autem semen tritici, quamvis semen sit, cum in terram proÿcitur, dicitur triticum: Ita etiam semen Fidei Fidem posse appellari: Fideles esse eos eodem modo quo præditi ratione, non quod jam ratiocinari possint, sed quod mens ipsis sit, quâ quando per ætatem licuerit, ratiocinentur re ipsa. Lege hæc apud Vrsinum volum. 1. Theolog pag. 220. Heidelbergenses in der gülden Leiter in der andern sprossen pag. 21, 79, 80, 83, 202. Hungaros in Panharmonia p. 214 At hæc distinctio non est I. Scripturæ tum II. Actualis Fides est quæ apprehendit Christum & salvat, apprehendere hactenus est agere (Lampadio est pati mirâ Theologiâ & Philosophiâ) At infantum Fides apprehendit & salvat, ut probatum. Actualis ergo. III. Qui laudant Dominum, vincunt mundum, ÿ & Actualem Fidem habent. Certum. At infantes per initiationis Sacramentum in fædus suscepti laudant Dominum Ps. 8. v. 3. vincunt mundum Ioh. 5. v: 4. Actualẽ ergo fidẽ habent. IV. Quid videtur de exemplo Baptistæ Iohannis Luc. 1. vers. 41. 44? V. Cum dicitur infantes habere Fidem potentiâ, vox δυνάμεως capitur aut pro potentia remota, quæ opponitur actui tam primo quàm secundo, aut propinqua, quæ est actus primus, & opponitur saltem actui secundo. Si posterius, dextrè intelligendo

gendo consentimus, si prius, verba datis viri Calviniani sine rebus, sic non esset quo infantes nostri beatiores dici possent quàm condemnati Sydonii & Tyrii, quos converti potuisse Christus adfirmat Matth. 11. vers: 21. Utiq; si non actu habent Fidem, neq; actu accipient Fide regnum cœlorum. Nam actu aliquid ab eo accipi quod nondum est actu, contradictionem implicat. At prius. Ergo & posterius? ὑστερόλογον. Nec exemplum de semine quadrat ut constat partim ex dictis, partim in disp. actu vel Dom. sumus demonstraturi plenius. Ex hypothesi Calviniſticâ sic rectè concluditur: In quo est Spiritus sanctus, is actu habet Fidem, ait Crellius in schola Calvini in Logicis doctrinâ de prædicamentis. At juxta Calvinianos in infantibus est Spiritus sanctus. Habent ergo actu juxta eosdem Fidem. Immò è dictis: Ut infantes habent rationem sic & Fidem, dicunt Calviniani, At habent rationem actu non δυνάμει tantum, aliàs enim δυνάμει tantum essent homines. Ergo & Fidem. Et Theologicum spiritum non sapit, quod de aliena Fide eos garrire diximus. Nam hocipso & Scripturæ, & rationi & sibiipsis repugnant. Scripturæ, ubi legimus: Justus suâ Fide vivit Habac: 2. Rom. 1. & 4. Corde creditur ad salutem ait Paulus Rom 10. Nemo autem credit alieno corde Ezech: 18. Rationi: Nam si aliena incredulitas neminem condemnat, neq; aliena Fides salvat aliquem. At aliena incredulitas neminem condemnat. Ergo nec aliena Fides aliquem salvat. Sibiipsis: Sic enim Pontificii; toties ut loca citare pigeat, non Fide aiunt aliena aliquem salvari, nisi quatenus opus bonum atqui hoc respectu hic non consideratur. Beza etiam satis apertè in q. 726. resp: & quæst: parentum fidem infantibus imputari, quasi aliena Fide credentibus, non minus falsum esse scribit, quàm si quis dixerit posse quempiam alienâ animâ vivere aut alterius sapientiâ sapere. Concilia. Quæritur & hîc, quid de infantibus sed non extra Ecclesiam natis, si summo aliquo casu necessitatis excluſi absq; baptismo obierũt sentiendũ? Nimis rigidè Gregor. de Valent. tom. 4. pag. 815. eos omnes vult damnari, unico casu excepto, si nempe interficerentur pro Christo. Vide & Bellar. l. 1. de Sacram. bapt. c. 4. qui de limbo quoq; philosophatur, & Iesuitas in recens habito coll. Ratisbonensi sess: 1. Contrà statuimus necessitatem baptismi non esse absolutam sed ordinatam. Idq; faciunt ut alia argumenta tum inprimis μακροθυμία Dei incircumcisos Judæorum non rejicientis Act. 13. vers: 18. tum & (quod notandum) Davidis filius ex Bethsabea ut maximè incircumcisus obiit, apud damnatos non fuit, nam ad eum se certò venturum testatur David 2. Samuel: 12. v. 23. Item q. exemplum latronis Luc. 23. Exempla sanctificatorum in utero matris Luc. 1. fœdusq; Dei cum posteris fidelium initum Gen. 17. v. 7. Esa. 49. v. 25. Act: 2. v. 39.

De infantibus infidelium extra Ecclesiam, Judæorum &c. Si in infantili ætate Ecclesiæ, vel à parentibus conversis vel aliis Christianis, in quorum plenampotestatem veniunt, qui loco ipsorum spondeant offerantur, sacro hoc lavacro omninò aspergendos esse statuimus. Aliàs tenentes hic istud, quod & multis aliis in controversiis, baptismum esse bonum Ecclesiæ, adeoq; extra vocatorum cœtum jus non habet. De adultis furiosis cum quæritur, distinctè respondemus, eos vel certo saltem tempore per intervalla furore corripi, vel perpetuò sano sensu privatos esse. De priorib. adfir-

mamus, de posterioribus, aut à prima natibitate tales sunt, quod si ita, pro infantibus habendi sunt & baptizandi, aut aliàs à sana mente amoventur neq; recolliguntur ad saniorem, sibi judicium faciendum esse ex voluntate ipsorum, dum sanæ mentis fuêre, statuimus. De dormientibus Emmanuel Sa in Aphorismis delirare videtur Aphorismo 10. pag. 16. qui ne pereat Thomam adeat in 2. secund. quæst. 113. artic. 1. & part. 3. quæst. 68. art. 12. eiusq; rationes si potest (poterit autem nunquam) salvis hypothesibus refutet. De baptismo hypocritis colluto quid sentiendum sit & Hubero respondendum, patet si inter substantiam quam accipiunt integram, & finem quo seipsos fraudant, distinguas. Fundamenta sententiæ sunt Iohann. 1. v. 12. cap. 3 v. 5. 1. Ioh. 5. v. 1. Rom. 8. v. 17. Tit. 3. v. 5.

## VII.

Hîc de Ceremoniis baptismi dicendum. Istas quæ Papisticam olent superstitionem damnarunt nostræ Ecclesiæ publicè, damnamus & nos. Retinemus tamen alias, quibus Calvinianus MELIORIZANS spiritus infestissimus est. Punctum principale agitur circa exorcismum, quẽ iste spiritus vult impiũ & Anhaldinis dicentibus Diabolicum, nos eum utpote verbo Dei neq; mandatum nec prohibitum, ab Ecclesia primitiva (rumpantur licet Calviniani) in regionib. usurpatũ quàm plurimis retinemus. Vide Cyprian. l. 4. Ep. 7. ad mag. Gregor. Nazianz. in orat. de bapt. Ambr lib. 1. de Sac. c. 5. Aug. lib. 1. de pecc. mer. c 34. lib. 2. de nupt. & concupisc. c. 18. lib. 1 c. 20. Optat. Milevitan: contra Parm. l. 4. eumq; multas pias commonefactiones continere statuimus. Quid autem Dn. Johanni Munstero zur Vorlage videtur de hoc syllogismo: Qui exorcismum improbant, non sunt A. Confessionis socii. At Calviniani exorcismũ improbant. Nobit hoc. E. non sunt A.C. socii, quæ conclusio ipsi aiectè est opposita & quã falsam esse peculiari libello demonstrasse voluit? Propositionem syllogismi negabis? probo: Articulus XV. confessionis August. aut loquitur de ritibus in Ecclesiis A. Conf. receptis aut non: Si posterius dicis, injurius es in ipsa articuli verba, nam de eo quod non est non editur confessio, injurius in ipsos confessores atq; adeò & P. Melancht. quorum hic scopus erat, publicè exhibere quasi omnibus, & docere quæ doctrina, qui ritus in protestantium Ecclesiis usurparentur. Si prius, est argumentum invictum: Illos ritus articulo dicto Aug. Confess. approbat, qui in Ecclesiis August. Conf. tum erant usitati. Atqui Exorcismus tum fuit usitatus, ut constat ex historiis. Ergo dictus iste articulus Exorcismum approbat, Ergo qui improbant, à Confessione August. secedunt. Ergo non nisi iniquissimè Exorcismi, quasi vel non reperiatur in A. Confess. vel cum ea pugnet à novellis reformatoribus Politico-Theologis in orbodoxis Ecclesiis abrogàtio instituitur, id quod erat concludendum.

## IIX.

Lampadi: Si regenerationis lavacrum obsignatur baptismo, sequitur idem obsignari seipso, quia baptismus est lavacrum regenerationis ad Tit 3. vers. 5. At juxta te, M. Johannem Lampadium, regenerationis lavacrum obsignatur baptismo censur. p. 112. Ergo sequitur idem obsignari seipso. Absurdum! Mavis? Si regenerationis lavacrum obsignatur baptismo obsignatur putamine, quia Sacramenta ais esse putamina Cen p. 44. At regenerationis lavacrum tibi obsignatur baptismo. Ergo putamine. Tu perge, & videbis absurdi tatum sentinam.

XIII.

# DESS. DOMINI COENA.

QUæ est Sacramentum Novi Testamenti, in quo panis quem frangimus, est communicatio corporis Christi: & poculum cui benedicimus, est communicatio sanguinis Christi *1. Cor. 10. v. 16.*

## *Quæritur.*

## I.

*Quâ Missam Pontificiam:* Anne ea probari possit? *Cum ista quæ ad doctrinam de Cæna spectant, alibi à nobis habeantur explicatius tradita, hic in summam contrahere placet, quæ ibi diffusim diximus, ut primum membrum Pontificiis, secundum Calvinianis Anabaptistis & novellis Arianis opponamus. Quoad Missam, sic Cœnam Domini vocant Pontificii, & tamen qualisnam vox sit Hebræana an Latina ipsimet ignorant. Ridiculè autem Bellarminus. Si vox illa esset Hebraica non Latina, non Missa sed Missach dicendum esse; quomodo tamen nemo scribat aut loquatur: Nam licet cum aspiratione finali sit apud Hebræos, omnes tamen canimus & dicimus Alleluja, non Allelujach. Nosmet vocem hanc non Hebræam sed Latinam (quo sensu & in August. C. usurpatur) dicimus, ratione tamen alia, de quâ alibi. Videamus nunc quid in Missa Pontificia potissimum veniat desiderandum. Collocant substantiam Eucharistiæ in tribus:* Consecratione, oblatione, communione. Consecrationem *non tantum sine verbis institutionis non posse fieri prolixè nobiscum fatentur, sed & de suo addunt pronunciationi verborum institutionis vim Magicam, vel Magiæ affinem, quasi illius vi panis in substantiam corporis Christi, vinum in substantiam sanguinis Christi convertatur. Magicam eam esse, non opus est ut multis consequentiis contra Bellarminum, eos blasphemiæ accusantem, qui Papales Magicam hisce verbis prolatis virtutem tribuere asserunt, è Gabriele Biele lect. 4. in missam probamus: qui in hæc verba diserte: Confectio-*

factionem corporis in Sacramento fieri aliquâ occultâ virtute, non insistente ei à quo fit, sed assistente: secundũ quem modum malefici & incantatrices (audin' Roberte?) quosdam effectus producere dicuntur, & extrahere lac vaccarum de manubriis securium, quod non fit naturali virtute maleficiorum, nec ex eorum merito, sed virtute occultâ sive malâ sive bonâ assistẽte. Quibus nil potest pro hoc themate clarius. Hanc consecrationem quam Magicam esse probavimus, idiomate volunt peragi peregrino. Contra: Si in Cœnæ administratione instrui debet populus de sacro hoc symbolo, & si magnam continet populi fidelis eruditionẽ, utiq; vulgatâ linguâ hæc erit celebranda. At prius teste Apostolo 1. Corinth. 11. & ipso institutore apud Evangelistas. Ergo. Eluceſcit exinde & alterum falsum esse quod Bellarmin. lib. 2. de Miss. cap. 12. ad reverentiam tanti mysterij vult non omnia dici voce altâ. Ergone non agitur in Sacramentis cum Ecclesiâ? Ergone Dei cultus ad proximi ædificationem non debet dirigi? vide 1. Corinth. 14. Murmuris taciti causam Biel reddit in expos. Canon. lect. 15. quod aliquando Pastores quidam in agro pane super lapidem posito Canonis verba pronunciarint, quodq; illico panis in carnem conversus sit, illi autem igni de cælo divinitus perculsi sint: Ne igitur in locis non competentibus à quibusvis cum periculo pronunciarentur, lege Ecclesiastica postea cautum esse, ut deinceps sub silentio pronunciarentur. Scilicet qualis res, talis & rei origo. Consecrationem, quæ in Segregatione & Sanctificatione consistit, isti Canone Missatico Romano peragunt, quod tantum abest ut concedamus, ut potius Canonem istum Missaticum reijciamus à capite ad calcem, de quo alibi. Consecrationis filia Transubstantiatio est, quâ verbis: Hoc est corpus meum & hic est sanguis meus, panis & vinum transubstantiantur mutatione essentiali in corpus & sanguinem Christi, ut ita substantia symbolorum abolitâ, accidentia tantum relinquantur. Hoc loco præter expressum Apostoli effatum 1. Corinth. 10. Vers. 16. illud urgemus: Si panis in ipsum Christi corpus convertitur, sit id vel ante, vel simul vel post consecrationis verba. Ratum. At non ante. Sic enim effectus præcederet caussam: neq; simul, sic enim transubstantiatio fieret successivè non in instanti, id quod negitant Pontificij: Neq; post, sic enim falsa erunt consecrationis verba, non enim dicitur, Hoc erit, sed Hoc est corpus meum. Atq; hactenus ipse Cassander consentit ad Patrum chorum provocans cum Scoto aliisq; ex eod. collegio. Præcipuum adversariorum fundamentum, hoc est, quod proponit Bellarminus lib. 3. de sacr. Eucharist. cap. 19. Sic colligit: Hæc verba (Accipite & manducate, Hoc est corpus meum Matth. 26.) inferunt aut mutationem veram panis, ut volunt Pontificij, aut Metaphoricam, ut Calviniani. Probat I. quia impossibile sit, ut vera res non mutetur & tamen fiat altera. II. Quia in propositione affirmativa necessum, ut subjectum & prædicatum pro eodem supponant: alioquin falsam esse propositionem, cum disparatum de disparato enunciari nequeat. Respond. I. Elenchum committi à non distributo ad distributum ita a. peccantes nosti Roberte, qui Gregorius tuus de Valentia exsibilet. Licet enim non sit mutatio hîc metaphorica, nec tamen substantialis, sed Sacramentalis, quâ panis qui nil differebat à communi pane, nunc sit propter divinam ordinationem participatio corporis Christi. II. Inconsideratè dicitur Calvinianos metaphoricã urgere panis mutationẽ, Ubi? (Anne quia Metaphorã in voce EST? Ridiculè!) sed dicendũ fuisset

urgere mutationem metonymicam, quâ signum mutetur in signatum & contrà. III. Argumentum Roberti consistit in propositione. Panis est corpus Christi. At hæc non est Scriptura, sed altera: Hoc est corpus meum. IV. Nec illa Scripturæ panem fieri corpus. V. Disparatorum exemplum de se enunciatorum inusitatè sit: Hic Filius Mariæ est Deus. E Transubstantiatione fluxit alia superstitio, quod Pontificij certo die festo eo nomine anno 1260. ab urbano V. excogitato panem consecratum & transubstantiatum capsulæ inclusum non sine pompa circumgestant, & populo latriæ cultu adorandum proponunt. Vide concil. Tridentin. sess. 13. canon. 6. Vnionem Sacramentalem, quâ finem, quâ initium non rectè describunt, quæ superioribus rectè præsuppositis refutari possunt facilius. Oblationem ita depingunt, quasi Christus non solum corpus & sanguinem in prima Cœna discipulis suis manducandum & bibendum dederit, sed & unà corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini Deo Patri tunc obtulerit & Apostolis eorumq; successoribus, ut ad consummationem seculi offerrent mandarit dicendo: Hoc facite in mei commemorationem. Vide concil. Trident sess. 22. Can. 1. At Sacramentum non est sacrificium, in Sacramento enim Deus nobis offert, in sacrificio nos Deo offerimus quod ab eo accepimus. At Cœna Domini est Sacramentum Ergo. II. Si Missa esset sacrificium esset cruentum. Ex Ebr. 9. v. 7. c. 6. v. 28. At non hoc: sic enim constaret effusione sanguinis. Ergo. Vide quæ sunt Eb. 7. vers. 23. 24. 25. 26. 27. cap. 9. v. 12. 10. vers. 14. Neq; est ut obiciant vel illud quod Melchisedekus, qui figuram Christi gessit, obtulerit panem & vinum Genes. 14. v. 18. Bellarmin. lib. 1. de miss. cap. 6. Nam Melchisedech Christi typus ratione sacrificii non fuit, quia panem & vinum non obtulit (sermo est Pontificius) Deo, sed Abrahamo ejusve exercitui, & qui esse potuisset? Sic enim corrueret discrimen inter sacerdotij Melchisedeciani & Aaronici ordinem, quia & Sacerdotes Aaronici obtulerunt panem & vinum Levit. 2. vers. 4. cap. 6. vers. 15. Num. 15. vers. 5. 3. Vnde nec Apostolus eius typi meminit, minimè istum omissurus reliquos accuratissimè commemorans, si in ista actione Melchisedeck Christum præcipuè præfiguraret. Et quia obligatio genus tantum est sacrificii teste Bellar. lib. 1. de miss. cap. 2. Anne à genere ad speciem adfirmatè Robertus concludet absq; ferula? Specialitas ista exprimitur in Hebræo, ubi est verbum Hotsi, quod significat protulit, puta exercitus reficiendi gratia. Tum si Melchisedech panem & vinum obtulit sumendum, At Papicolæ utrumq; surripiunt, & accidentia substituunt, Quæ manebit similitudo? Vel illud de agno Paschali. Idem. nam quæ in cruce impletæ sunt figuræ ad cœnam trahi non debent. Atqui mactatio agni Paschalis in cruce fuit completa, fuit enim figura immolationis Christi 2. Corinth. 5. vers. 7. quæ in cruce impleta Johann. 19. v. 36. Ergo. Bellarmino urgenti ulterius, hoc opponi potest: Si typus Agni Paschalis (ejus mactatio & immolatio) impletus & impletur in Eucharistiæ celebratione, sequitur quod umbra fuerit clarior re ipsa, sequitur quod Christus non impleverit omnes typos, figuras, sequitur quod Christus fuerit in celebratione Cœnæ cruentè mactatus & mactetur. At posteriora absurdissima ipsis Pontificiis fatentibus Ergo. Addas hoc invictum: Si celebratio Agni Paschalis typus fuit sacrificij Missaitici: Equidem de hostiis consecratis & immolatis nil reservandum, ut typus rei correspondeat. Quippe de Agno Paschali Dei mandato

dato reservari nil debuit Exod.12.v.20. At hostiæ consecratæ possunt reservari, immò reservandas esse ajunt Pontificij. Ergo agnus Paschalis non fuit typus sacrificij missatici. Vel illud, quod est Malach 1 v.11. Bellarm. ibid. inepti Jesuitæ! Legitur in Hebræo vox Mincha, quam si de spiritualibus hostiis accipi nescitis, discite ex Psalm 141. tùm hosce duos syllogismos resolvite, Primum: Si vox oblationis de sacrificio propriè dicto intelligenda, utiq; etiam vox incensi de incenso propriè dicto intelligenda. Nam vocem utramq; habemus apud Prophetam conjunctam cap.1.vers.11.12.13. At consequens est ἄτοπον. Ergo. Secundum: Oblatio, de qua hoc loco agitur, ea in omni loco offertur. Sic enim est in textu. At oblatio missatica non in omni loco offertur, sed tantùm in Altari. Ergo de ea hoc loco non agitur. Vel è verbo Facite. idem. Nam præterquam quod istud facite explicatur per manducate & bibite, fieri nequit ut Pontificii ex hoc se extricent: Si verbum facite est idem quod sacrificate, utiq; non soli Sacerdotes sed & Laici sacrificabunt. Quia utriq; dictum est hoc facite. At posterius est absurdum. Ergo & prius absurdum esse concedant Pontificij necesse est Vide inter Patres loco omnium August. & Cyrill. Communionem ita tractant, ut Sacerdotibus quidē utramq;, Laicis a nullo præcepto esse utramq;, sed solam panis speciem porrigendam asserunt. Quo nomine durum decretum Constantiæ anno 1415 (quos decernentes peccatum, quod in Spiritum S. dicitur, peccasse haud falsò dixeris) in synodali conventu promulgarunt: quod licet Christus instituerit & administrarit sub specie utraq; venerabile hoc Sacramentum, quamvis etiam in primitiva Ecclesia sub utraq; specie receptum sit, tamen hoc non obstante à Laicis tantum sub specie panis suscipi debeat, cum quibus si concilij Tridentini decretta, si Bellarmini Valentiani & novellas Bucani opiniones conciliaveris, laborabis. Opponimus hisce verba institutionis, quæ extant Matth.26. Marc.14. Luc.22. 1.Corinth.11. E quibus & hoc fluit argumentum: Quibus dicitur ut mortem Christi commemorent, ijsdem etiam ut Christi corpus sub pane, sanguinem sub vino accipiant. Nam corpus Christi editur, & sanguis eius bibitur ad hunc finem Luc.22.vers.19. At non Sacerdotibus tantum, sed & Laicis hoc dicitur. Ergo. Adde praxin Paulinam 1.Cor.10.vers.16.20. 1.Cor.11.v.26. è qua istud argumentum inprimis notandum: Qui in Ecclesia Corinthica potuerunt corrumpi, seduci eis concedit Apostolus utramq; in Cœna speciem. Nam eos qui seduci potuerunt, ad verum Dominici convivii usum vocabat ne polluerentur 1.Cor.11.v.19. At non Episcopi tantum, sed & Laici potuerunt corrumpi. Dicit enim, Multi inter vos 1.Cor.11.v.30. Ergo. Consentiunt Patres Theophylact in 1.Corinth.11. Paschas.cap.15. Damascen. de orthod. fid. lib.4.cap.14. Ambros. lib.5 de Sacrament. cap.3. August. tract.26. in Joh. è Pontificijs Lombard. lib.4. dist.11. Hugo de S. Victore aliquoties. Argumenta in contrarium tornant multa: ubi ex iis intellexeris eorum præcipuum, quod est apud Bellar. lib.4. de Sacram. Eucharist. c 22. tu sic eos preme: Si sanguis porrigitur Sacramentaliter sub pane etiam corpus exhibebitur eadem ratione sacramentaliter sub vino, hoc est edetur, non bibetur, certè si istud ob divulsionem ut fiat aliter, nequit, de hoc similiter judicandum est. At posterius vobismet Pōtificiis absurdū est. Erit ergo & prius. Hæc de substātia Cœnæ Pontificij: de fine & fructu è dictis quid sentiant collectu facilè: hic istud notamus, quod in vero Eucharistiæ

usu ap-

*usu applicationem remissionis peccatorũ fieri negant, ut Iesuitæ Colonienses in censur. pag. 275. & seqq. quibus opponimus, poculum Eucharistiæ expressè Novum Testamentum dici, quod absq; remissione peccatorum definiri nequit Ierem. 31. Hebr. 8. è quibus & alia minutiora eorum destrui possunt, juxta illud: Subrue fulturam patitur structura ruinam.*

## II.

*Quà Calvinianos errores:* Anne ut quidem vult ipsum ῥητὸν verborũ Cænæ, realiter & substantialiter corpus & sanguis Christi in vero usu sint præsentia, & sub elementis terrenis, cum pane corpus, cũ vino sanguis Christi à dignis & indignis ORE quanquã mysticè sumatur? *Adversarij Calvinisequæ cũ Anabaptistis turmatim hoc negãt, ut eorum testimonia congerere vix necesse sit, istud autẽ non diffitentur, quod si κατὰ τὸ ῥητὸν verba Cænæ intelligenda sint, sententiam nostram, quæ est pani Benedicto ceu medio divinitus ordinato corpus verè realiter & substantialiter præsens, & vino benedicto sanguinem Christi pariter præsentem uniri sacramentaliter & mysticè, ita ut cum illo pane verum Christi corpus, cum illo vino verum Christi sanguinem in sublimi mysterio ore sumant manducent & bibant tam pij quàm impij. Quare I. τὸ ῥητὸν sic asserimus: Quod solemniter sub Testamenti forma proponitur, ejus verba sunt simpliciter & propriè κατὰ τὸ ῥητὸν intelligenda. Vide axioma Apostoli Gal. 3. vers. 15. Vide leges civiles citatas à Tilemann. p. 2. ff. disp. 7. thes. 31. At Cœna Domini sub Testamenti forma proponitur, hinc etiam Testamenti nomine appellatur. E. ejus verba sunt simpliciter & propriè κατὰ τὸ ῥητὸν accipienda. Neq; est ut regerant cum Beza in colloq. Momp. Embdensibus* im bericht *Genes. 49. Iacobi Patriarchæ Testamentum multis typis fuisse figuratum, nam responsio prompta, certa est, quod potius prophetia fuerit quàm testamentum. Vt enim habetur cap. 49. v. 1. Iacob vocavit filios suos & dixit: Congregamini, & annunciabo quod eventurum est vobis in novissimis diebus, quod quid aliud est quàm Prophetare? Consentiunt Patres Iren. lib. 2. advers. hær. cap. 46. Cyrill. lib. 4. thesaur. cap. 13. Chrysostom. hom. 83. in Matth. & inculcamus adversariis istud quod proprius eorum Propheta Zegedinus tab. 8. de Cæna pag. 183. scriptum reliquit: Petendum esse sensum verborum Domini ex ipsis Cœnæ Dominicæ vocabulis, quorum singula, singula gignunt argumenta. Τῷ ῥητῷ asserto reliqua patent, annotamus tamen syllogismum* & pro substantiali præsentia; *Si Cœna Domini non est umbra futurorum bonorum, sed habet ipsum corpus, ipsam substantiam, & poculum hoc, est Novi Test. in sanguine Christi, hoc est per & propter sanguinem, quod poculum pro nobis effunditur, puta quia Sacramentaliter sibi habet unitum Christi sanguinem pro nobis effusum, utiq; non nuda figura corporis & sanguinis Christi in Cæna proponitur, sed ipsa substantia. Ratio consecutionis constat è discrimine Veteteris & Novi Testamenti Col. 2. v. 17. Hebr. 10. v. 1. At prius est, ut patet è verbis Christi: Hoc est sanguis (non hircorum aut vitulorum, non agni Paschalis qui erat typicus, sed) meus, sanguis non V. Testamenti antiquati, sed Novi, olim per Prophetas pro-*

tæ promissi, nunc sanciti & confirmati. Et Luc. 22. v. 20. τὸ ποτήριον dicitur ἐκχυνόμενον, quibus in verbis ut cũ Beza & Gocl. dicamus esse solœcismum, absit. Et pro manducatione bibitionem, orali & simul impiorum. una eadẽq; est significatio verbi bibendi in mandato Christi, & in mãdati ejus executione. Ratũ. At qui in executione istius mãdati verbũ Bibẽdi accipitur pro bibitione oris: Et biberũt ex eo omnes, id quod patet & confirmatur ulterius exemplo Iudæ proditoris, quem sacræ Cœnæ interfuisse ex historia Evangelica certũ est. Ergo etiã in mandato Christi verbum bibendi accipitur propriè pro bibitione, quæ peragitur instrumento oris. Porrò quæ est ratio partis posterioris, ea etiam prioris, & sic verbum manducandi etiam propriè accipitur. De manducatione indignorum vide insuper 1. Corinth. 11. v. 27. & seqq. De ritibus autem & circumstantiis Cœnæ ut altaribus, fractione panis &c. quid habendum è disputatione prolixiore nostrâ de Cœna huc repetatur, quæ cum doctrina publicè in Ecclesiis sonante, per omnia est conformis. Vbi & Calvinianos cum Arianis, Nasoniſtis aliisq; consentire est fusè demonstratum in erroribus, quæ vel substantiam vel finem Cœnæ concernunt prolixè refutatis: adde de fine etiam, quæ supra contra Pontificios disseruimus, ut repetitione peculiari hic non opus sit.

## III.

Tantum tua paulisper contemplemur M. Lampadi ut videas tuam, Calvini, Bez, Pez. auctoritatem nobis non esse hoc loco quæ Euangelistarum, quod tamen haud leviter tibi persuades, cum censuræ tuæ pag. 74. ebuccinas: Quid sit panis in cœna, docent Euangelistæ (anne isti quatuor: Matthæus, Marcus Lucas, Iohannes? non ita: sed Lampadius, Calvinus, Bez. Pez.) unanimi consensu, videlicet Sacramentum corporis & calix Sacramentum sanguinis Christi, præter ea quæ hoc loco in censurâ nostra contra te diximus, considerandâ, nunc insigni tuo paragrapho sc. Euangelistico opponimus è schola tua hoc erutum: Nulla relatio de substantia potest prædicari in casu recto. Nosti enim Lampadi, argumentum fors est à Bremensibus olim profectum. Nulla relatio propriè de substantia potest prædicari. At κοινωνία est relatio quædam. Ergo de substantia, pane, non propriè, sed Tropicè tantum potest prædicari. Ergo quando Paulus ait 1. Cor. 10. Panis, quem frangimus, est κοινωνία corporis Christi &c. non prædicationem habet propriam sed Tropicam. Quod tamen quando nobis opponitis, nihil efficitis, nihil proditis præter vestras ineptias: nam panis in loco Apostolico non consideratur ratione substantiæ suæ (ut nec poculum) sed quatenus in usu Eucharistiæ legitimo adhibetur, quatenus ὄχημα est corporis Dominici manducationi inserviens, ut ita non absolutâ sed relatâ consideratione panis κοινωνία corporis Christi dicatur, in usu dico, ut Euangelium appellatur potentia Dei ad salutem omni credenti, non τροπικῶς, sed quod Euangelium in usu legitimo, prædicatum puta & auditum, ex ordinatione Dei sit organum salvificæ Dei potentiæ. Istud a. inde constat propositionem datam non solum ipsi veritati, sed & Calvinianorum hypothesibus esse consonam. Assumo: At Sacramentum vobis est RELATIO. Vide clarè Keckerm. Syst. Theol. l. 3. c. 8. Polan l. 2. part. Theol. pag. 225. vide de disp de Sacr. in gener. Ergo de pane non potest prædicari. Falsum ergo illud Euangelistarum sc. Lampadii, Calvini, Bez. Pez. unanimi consensu prolatum effatum, panem esse Sacramentum corporis, ut & calicem sanguinis Christi.

XV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756503264/phys_0075
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756503264/phys_0076
DFG

*usu applicationem remissionis peccatorũ fieri negant, ut Iesuitæ*
*sur. pag. 275. & seqq. quibus opponimus, poculum Eucharistiæ e*
*stamentum dici, quod absq; remissione peccatorum desini*
*Hebr. 8. è quibus & alia minutiora eorum destrui possunt, juxtà i*
*ram patitur structura ruinam.*

## II.

*Quà Calvinianos errores:* Anne ut quidem vult ipsum ἐγ
realiter & substantialiter corpus & sanguis Christi in vero us
sub elementis terrenis, cum pane corpus, cũ vino sanguis Chri
gnis ORE quanquã mystice sumatur? *Adversarij Calvinisequæ*
*matim hoc negãt, ut eorum testimonia congerere vix necesse sit,*
*tentur, quod si κατὰ τὸ ῥητὸν verba Cœnæ intelligenda sint, se*
*quæ est pani Benedicto ceu medio divinitus ordinato corpus vere*
*tialiter præsens, & vino benedicto sanguinem Christi pariter pra*
*mentaliter & mysticè, ita ut cum illo pane verum Christi corpus,*
*Christi sanguinem in sublimi mysterio ore sumant manducent*
*quàm impῦ. Quare I. τὸ ῥητὸν sic asserimus: Quod solemn*
*forma proponitur, ejus verba sunt simpliciter & propriè κατὰ*
*da. Vide axioma Apostoli Gal. 3. vers. 15. Vide leges civiles ci*
*2. ff. disp. 7. thes. 31. At Cœna Domini sub Testamenti forma p*
*am Testamenti nomine appellatur. E. ejus verba sunt simpliciter*
*ῥητὸν accipienda. Neq; est ut regerant cum Beza in colloq.*
im bericht *Genes. 49. Iacobi Patriarchæ Testamentum mu*
*ratum, nam responsio prompta, certa est, quod potius propheti*
*mentum. Vt enim habetur cap. 49. §. 1. Iacob vocavit filios suos*
*mini, & annunciabo quod eventurum est vobis in novissimis dieb*
*est quàm Prophetare? Consentiunt Patres Iren. lib. 2. adver. h*
*lib. 4. thesaur. cap. 13. Chrysostom. hom. 83. in Matth. & inculc*
*stud quod proprius eorum Propheta Zegedinus tab. 8. de Cœna pa*
*quit: Petendum esse sensum verborum Domini ex ipsis Cœnæ D*
*quorum singula, singula gignunt argumenta. Τῷ ῥητῷ asserto re*
*tamus tamen syllogismum & pro substantiali præsentia; Si C*
*umbra futurorum bonorum, sed habet ipsum corpus, ipsam substa*
*hoc, est Novi Test. in sanguine Christi, hoc est per & propter san*
*lum pro nobis effunditur, puta quia Sacramentaliter sibi habet*
*guinem pro nobis effusum, utiq; non nuda figura corporis & sang*
*na proponitur, sed ipsa substantia. Ratio consecutionis constat*
*teris & Novi Testamenti Col. 2. §. 17. Hebr. 10. §. 1. At prius es*
*Christi: Hoc est sanguis (non hircorum aut vitulorum, non agn*
*typicus, sed) meus, sanguis non V. Testamenti antiquati, sed No*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756503264/phys_0077
DFG